



27 No 3

DISSERTATIONIS
DE
MONIMENTO PANEADENSI

PARS ALTERA,
quam sub auspiciis Divinis
PRAESES

THEODORUS HASAEUS,

S. Th. D. & Prof. & ad aedem D. Virginis
Pastor,
& Respondens

NICOLAUS BARKEY, Bremensis,
die VENERIS, pridie Eid. Dec. a. cl^o lcccXXVI,
publicae disquisitioni H. L. Q. S. subjicient.




BREMAE,

Typis Hermannii Christophori Jani, Illustris Gymn. Typogr.



38 (o) 50



S. T.

VIRIS

OMNI OBSERVANTIÆ CULTU
COLENDIS,

Dn. BERNHARDO BARKEY,
LAUDABILIS SENIORUM COLLEGI
SUBSENIORI MERITISSIMO,
AVO HONORATISSIMO,

UT ET

Dn. ANTONIO BARKEY,
PARENTI OPTIMO,
IN ANIMI GRATI TESSERAM
OB SUMTUS AD STUDIA PROSEQUENDA
LARGITER CONCESSOS,

*Hancce tabulam
suspendit*

NIC: BARKEY.



Disputationis de STATUA, quam putant, HAEMORRHUSAE

Capitis *Tertii*, in quo, quid illa fuerit,
ostenditur,

ARGUMENTUM.

SCopus & Summa dicendorum §. 1. Statuam Paneadensem ab ethnicis erectam nonnullis suboluit. Inepta crisis Fr. *Combesii*. §. 2. Id reapse fictum esse (1.) *probat*ur ex more, quo solebant urbes beneficio mactae *Ευεργετίας* suis statuas ponere. Id indicat Tiberii Colossus Puteolanus. §. 3. In iis ipsae urbes manus tendentes ad restitutorem exprimebantur. Gestus ille, quid significet. §. 4. Describitur statua Paneadensis ex Eusebio. §. 5. Illi plane similes olim exstiterunt §. 6. Eaedem profus imagines occurrunt in nummis *Galbae*, *Vespasiani*, *Traiani*, *M. Aurelii*, *Caracallae*. §. 7. *Valeriani*, *Gallieni*. §. 8. In iis additus titulus RESTITUTORIS. Quid ille sibi velit, & quibus datus. §. 9. Imagines geminae cum titulo REIP. REIP. videntur in nummis *Valentiniani*, *Valentis*, *Gratiani*, *Magni Maximi*, *Theodosii*. §. 10. Praecipue in nummis HADRIANI, cum titulo RESTITUTORIS diversarum provinciarum, quae recensentur. §. 11. Et cum infer. JUDAEA. §. 12. Factum id est ob singularem Hadr. munificentiam & benignitatem. §. 13. Praecipue in *urbibus* exercitam. §. 14. Unde prae aliis summis eum honoribus profecti sunt. §. 15. Hinc ei (A) & talis excitari potuit statua, qualis apud Paneadeses visa est. §. 16. Quod probabile (B) porro redditur, quia saepius in Syria & Palaestina fuit. §. 17. Examinatur tempus ejus profectioem in Judaeam. §. 18. In urbe Paneade fuit a. 129. vel 130. quo illi statua illa videtur excitata. §. 19. Accedit summa similitudo (C) inter Hadrianum & Christum, ratione (α) *formae* §. 20. (β) *barbae*. §. 21. Saltem, uti ab antiquissimis temporibus Christus pictus fideusque est. §. 22. (γ) *Habitus* vestium. Hadrianus sive toga, sive pallio usus sit. §. 23. uti dici potest *διπλοῖδι*. Quid *Διπλοῖς* §. 24. Tali vestis genere etiam Christus usus est, quid *ἡνθ*. §. 25. An (γ) & *ὠνοπιδιον*? Num Christus usus sit *calceis*. §. 26. In ipsa inscriptione statuae (D) potuit aliquid in honorem Hadriani scribi, quod in Christum optime quadraret. Eum in finem observatur *ΣΩΤΗΡΟΣ* nomen datum omnis generis benefactori. §. 27. Praecipue Imperatoribus Romanis §§. 28. inque iis *Hadriano*. §. 29. Qui & se *τω Θεῷ* vocari passus est. §. 30. Hos titulos in basi statuae datos fuisse Hadriano ipsa Eusebii verba videntur innuere. §. 31. Ex quibus, quā ratione Hadriani signum ad Christum transferri potuit, ostenditur §. 32. Occurritur (II) *objectionibus*, si quae contra hanc sententiam formari possint. Sc. (α) *quod memoria illius, cui statua posita, non potuit obliterari, ut ad alium transferretur*. Sed id fieri potuisse docent variae statuae aliae v. g. *Semonis Sanci*, *Joduthae*, *Constantiensis*, *Isidis* apud *Patricenses* §. 33.

A

Clivo-

Clivopolitanae; S. Mauricii apud Hallenses §. 24. Duo vetusti lapides Romani. S. Viarus §. 35. (s) *Quod epigraphæ statuae, qualis esset, debuisset indicare. Vetustas sensim illam obscuravit, ita tamen ut literae, tituli, qui Christo pariter & Hadriano dari poterant, adhuc legerentur* §. 37. Totius dissertationis ἀνασκειασικῶς §. 38. Tentatur an illa monumenti inscriptio restitui possit *Latine*. §. 39. *Graecè*. §. 40. Quid Haemorrhousa in Christi honorem potuisset monumento inscribendum curare. §. 41.

§. I.

IN urbe Phoenices PANEADE, sive Caesareae Philippi exstitisse quondam monumentum ex aere conflatum, quod figuram feminae viro togato manus supplices tendentis repraesentaret, narravit EUSEBIUS, eumque alii longo agmine secuti. (a) Illud à muliere, quam morbo atroci inquinatam pristinae restituerat valetudini Ο ΣΩΤΗΡ noster, hujus honoribus dicatum positumque fuisse, creditum est omni populo. Hanc autem opinionem lubrico iudicio magis, quam ingenio peccanti deberi, tamque infirmo fundamento niti, quam certum est firmæ olim ac marmoreae basi aeneas illas apud Paneadenses statuas subnixas stetisse, id ante hebdomada mensium, & quod excurrit, peculiari evincere ἀσκηματι annisi fuimus. Cum autem facillioris sit operae colossum aeneum lapideumve demoliri, quam excitare rursus, neque tam nostra intersit scire, quid non fuerit, quam quid fuerit, age nunc hoc capite, posteaquam in superiori ἀνασκειασικῶς actum est, nunc κατασκευασικῶς rationes ineamus; & quid rei, illud Caesareensium signum fuerit, à quo erectum, cujusque dicatum memoriae solertius indagemus.

§. 2. Fuisse jam pridem nostrarum partium Viros, quorum in mentem venit, illam imaginem (b) ab hominibus ethnicis suscitatum, colligo ex iis, quae Nic. SANDERUM, haud dubie in libro

(a) Adde illis, quos Cap. I. §. 3. magno numero adduxi HAYMONEM, Halberstadenfium Episcopum, Hist. Eccl. L. VII. c. 6. qui & Bedam adducit, sed omnia ex Eusebio deprompta sunt. Apud Bedam neque in Comment. ad Matth. Marcum, Lucam, neque in L. de locis sanctis, ubi Panei meminit, quidquam hujus invenire licuit.

(b) Hac voce ita utor, ut passim veteres, quibus haec vox generalis est, & de omni effigie, sive picta, sive ex aere, marmore aut alia quavis materia usurpatur, Vide ill, CUPERI Apoth. Hom. p. 257. 258.

libro, quem de *typica & honoraria imaginum adoratione* edidit, scripsisse, ei objicit HOSPINIANUS in opere de *templis* L. II. c. 10. his verbis: *Non Eusebius dicit, neque ex nostris aliquis unquam affirmavit, ut SANDERUS CALUMNIATUR, Ethnicos statuas hanc haemorrhousae fabricasse.* Potuit id fieri à quoquam nostrum, quamvis illud Hospiniano, pereximio viro, non innotuisset. Neque contestum calumniae nota affricanda est, sententias aliorum producenti, cum haud facile cuiquam facultas detur OMNIUM, quae prodeunt, scripta legisse. Et, cum calumniari sit aliquid *mali*, idque falsò de quoquam enarrare, si Sanderus illam sententiam nostris hominibus adscripsit, non calumniatus est, sed iis aliquid tribuit, quod cum illorum laude conjunctum esse putem. Sane, qui ab ethnicis illam columnam erectam esse credidit, is se neque iudicandi facultate destitutum, neque in veteri historia hospitem esse, fecit manifestum. Atque hoc omnino dictum velim de Jo. DALLAEO, summo Viro, qui, ut primus, quod scio, illam columnam non esse opus *τῆς ἀμφοπόρων* ostendit, ita simul in eam opinionem ingressus est, a paganis eam occasione quadam, quae nunc ignoratur, extractam esse. (c) Acutius adhuc vidit Jacobus GOTHOFREDUS, JCTUS & Senator Genevensis, qui in eruditissimis ad Philostorgium commentariis ad L. VII. cap. II, conjicit *statuam hanc civitatis ipsius Paneadis simulacrum exhibuisse, quae videlicet afflicta casu quadam, vel ab Imp. vel à Magistratu aliquo erecta fuerit, quod ita moris erat provincias, urbesque effingere.* Huic prorsus subscribo, nihil veritus censuram Francisci COMBEFISII, etsi ille ex formidando illo grege sit, cui horrendum illud inquisitionis tribunal commissum est,

A 2

(c) Verba ejus in libro *de la creance des peres, sur le fait des IMAGES* edit Genev 1641. haec sunt pag. 286. *Je crois, qu'il y avoit deux pieces de fonte en la ville de Paneade telles, qu'elles nous sont representées dans le texte d'Eusebe. Mais, que l'Auteur, & l'argument en fust tel, que s'Imaginoyent ceux, dont il nous rapporte les languages, les difficultes cy devant deduites ne me permettent pas de le croire. Plustot estimerois je, qu'elles y avoyent ete ainsi dressées pour quelque occasion, que nous ignorons par des personnes payennes (car Paneade estoit une ville Grecque) & que les Chrestiens s'y estans multiplies le peuple avoit destourne cette representation a l'histoire de la femme guerrie des flux de sang pour le rapport, qu'avoit la posture de ces deux figures &c. Recte, & sapienter!*

est, Parisiensis ordinis Praedicatorum monachus. Hanc in notis ad auctoris incerti *παρασκευαστικῆς συντομῆς χρονικῆς* (d) de hac conjectura Gothofredi p. 60. instituit, ubi illa adducta ita pergit: *Hanc conjecturam vel indigenarum per id tempus traditioni, vel ipsi certae inscriptioni post tot aetates praescribere (cum haec id nemini in mentem venerit) Calviniani candoris est, ac πολυμαθείας, novique euangelii.* Imo verò, Combesi, hoc ingenui candoris est & Christiani, historiam abs *ὁλοκληρωμασι καὶ σκεπτικῶν μυθαιολογῶν* expurgare, & quam parum incertis fidentium sit traditionibus, ostendere. Idque solent illi Christiani, quos tu Calvinianos vocas. Illud autem, cum sine aliqua *πολυμαθεία* fieri nequit, quae in tuae familiae fociis oppido rara est, eam cum a te nostris hominibus exprobrari legunt, habent illi, quod gratulentur sibi. Quod autem id nunc aliqua cum libertate fieri queat, id EUANGELIO non *novο*, ut ais, sed veteri, sed aeterno, eique feliciter RESTITUTO debemus.

§. 3. Habemus itaque, qui non à Christianis, sed ab ethnicis erectam, eamque esse imaginem urbis ipsius suspicati sunt. Quae sententia, ut dijudicari queat, revocemus nobis in memoriam, id fuisse quondam in more positum, ut urbes civitatesque insigni quodam beneficio ab aliquo Imperatorum adfœctae, honorarent illum positione statuae, cujus figurâ ipsae repraesentarentur. Vel hujus rei fidem facit pulcherrimum monumentum, quod apud Puteolanos ante hos XXXIII. annos inventum & commentario illustratum est duplici, primum ab Antonio BULIFONIO, quem inscripsit: *Ragionamente d'un antiquo marmori trovato nella citta di Pozzuoli; Neapoli 1694. 12.* deinde a doctissimo Viro Laurentio Theodoro GRONOVIO, qui *Marmoream basin Colossi Tiberio Caesari erecti ob civitates Asiae restitutas post horrendos terrae tremores inferri fecit tomo Antiquitatum Graecarum*, quas adornavit Jacobus GRONOVIVS, septimo. In illo sistuntur XIV. figurae singulæ exhibentes singulae totidem Asiae minoris urbes suis singulas signis insignes, quarum terrae motu labefactarum instaurationem suis impensis curaverat Tiberius Imp. Cui allegati libri non ad manus sunt, videat marmor illud delineatum in *ἐπιμνημοῖς*, quae Lipsiae maxi-

(d) Extant illae in *manipulo rerum Constantinopp.* adjecto L. *Allatii de Simeonum scriptis* libro edito Paris, 1664. 4.

maximo cum emolumento reipublicae literatae prodeunt A. 1694, pag. 173. Ejus historiae memoriam conservavit nummus in meâ quoque thecâ existans, in quo Tiberius sedens pateram manu gestans conspicitur cum hoc epigrammate: CIVITATIBVS. ASIAE. RESTITVTIS. Utriusque & marmoris & nummi egregius commentarius est locus Phlegontis Tralliani, c. 13. qui ex Apollonio Grammatico enarrat, Tiberii Neronis tempore terrae motum fuisse, quo multae Asiae urbes concussae, deletaeque sint, sed instauratas esse à Tiberio. Propter id beneficium colossus illi erectum in foro Romano, & addit; *και των πολεων ενκασης εφεξης ανδεμαντας παρεστησαν.* Et singularum urbium *STATUAS* deinde subjunxerunt. Et haec sunt illae in illo colosso expressae imagines,

§. 4. Inter illas est urbem Magnesium exprimens, quae dexteram extendit, quasi ad RESTITUTOREM suum TIBERIUM. Talis gestus est miseri, afflicti, & vel opem petentis, vel ob praestitam opem gratias agentis. Sic Tacitus Ann. L. II. c. 29. de Libone reo ait, *eum lectica delatum ad fores curiae, & manus ac supplices voces ad Tiberium tendentem immoto ejus vultu fuisse exceptum.* Petronius cap. 114. Lycas trepidans ad me supinas porrigit manus; *Et tu, inquit, SUCCURRE periclitantibus.* Ita Cicero in Catil. IV. c. 9. describit ipsam Romam, *patriam communem supplicem P. C. manus tendentem.* Sic SENECA in Hercule furente Act. IV. scen. I. vs. 102.

— en blandas manus

Ad genua tendens, voce miseranda rogat.
Petronius c. XVII. *Protendo ad genua vestra supinas manus*, ubi vide BARTHIIUM & inprimis GONSALIIUM. Hinc pervulgatus iste & aequè in sacris, quam *τοις εξω* scriptoribus frequentissime commemoratus mos, quo oraturi supinas, i. e. expansas manus ad caelos efferebant, de quo nihil addimus, ne in re obvia nimiae diligentiae nos quisquam postulet. Notemus tantum JER. IV. 31. *Vox filiae Sionis anhelat, EXTENDIT BRACHIA* &c. & THREN. I. 17. *Zion tendit manus, nullus consolator ei adest.* Tales itaque statuas protendentes manus suas, cum & Puteolis & Paneade conspiciamus, & ejusdem utramque esse speciei, & utraque afflicti, auxiliumque implorantis urbis imaginem nobis ab oculos poni deprehendimus.

§. 5. Sed ut de nostro Paneadensium ἀγάλματι eo liquidius ferri queat arbitrium, age, ipsum illud signum, uti ab Eusebio suis quasi coloribus delineatum est, oculis nostris, animoque objiciamus. Duplex ibi occurrit imago & *Mulieris* & *Viri*. Illa quidem ἐπι γονυ κεκλιμένη, καὶ τεταμένης ἐπι το προσθεν ταις χερσιν ἰκετεύουσα, in genu provoluta & supinis, i. e. *expansis manibus supplex facta*. Enimvero adjuncta est illi altera effigies *Viri*, διπλοῖδα κοσμίως περιβεβλημένος καὶ τὴν χεῖρα τῆ γυναίκι προτεινόντος, *pallium eleganter induit*, & *manum mulieri porrigentis*, quasi mulierem erecturi, eique auxiliatricem dexteram porrecturi. Ita τὸ ἀγάλμα Paneadensium describit Eusebius. Jam, si ostendere tibi, & quasi digito monstrare liceat cum isthac descriptione, quoad figuram & numerum, & habitum, & gestus, & corporis situm convenientes omnino, ne dicam eandem plane imagines, vix dubito, quin confesurus sis, inde illam, quam Haemorrhousae esse crediderunt, statuum illustrandam, dignoscendamque esse.

§. 6. Non quidem incidere mihi licuit, in talem ἑλλην lapideam, aeneamve, adhuc superstitem, quae Eusebianae per omnia par sit, quod tales perquam paucissimae ex innumeris relictae sint, cum

Ipsa etiam veniens consumat saxa vetustas, (e)

Et nullum est, quod non tempore cedat, opus.

Tales tamen fuisse, loca veterum docent aperte huc respicientia; Sic S. BASILIUS Opp. T. III. p. 272. epist. 279. Modesto imperii praefecto causam immunitatis Clericorum commendaturus, rogat, ut velit admittere, καὶ χεῖρας ὀρέξαι τῆ πατρίδι. *eis gona hanc elatoussu, i. e. manum porrigere patriae, jam in genua provolutae.* Greg. Nazianzenus in epistola ad Olympium, quae est 40. pro Dio-Caesarensibus intercedens, ita inquit: ταυτην σοι προσπιπτει νομισον δι' ημων — Τυτους ποιησθαι προς σε λογος; Δος μοι χεῖρα χαμαι κειμενη, βοηθησον ἀσθενος — *illam, sc. Cappadociae urbem Dio-Caesaream, existima, per nos tibi supplicem advolvi, Et illa ita te alloquatur, Porrige mihi dextram humi prostratae, succurre laboranti &c.* quae quidem verba aperte ad ejus modi, qualem delineavit Eusebius, statuam collineant, docent-

(d) Corn, Gallus El. I, vf, 273,

docentque, quid illae figurae sibi velint, imo earum, quasi interpretes & commentarii sunt.

§. 7. Quo parcius autem vel in aere, vel in faxis, eo eas licet frequentius in veteris aevi numismatibus contemplari, ab Imperatoribus Romanis, vel à provinciis & urbibus in illorum honorem cufis. Ibi expressas videbis figuras Imperatoris, vel paludati, vel togati dexteram mulieri genu flexae porrigentis, tanquam eam sublevaturi. Talem nummum primum invenio GALBAE, in Ducis Croyaci nummophylacio à L. Begero recuso tab. XXII. n. 12. Adstat tamen fig. Viri galeati, scutum manu gestantis. In margine legitur: LIBERTAS RESTITUTA. Ei plane geminus est VESPASIANI apud eundem tab. XXV. n. 12. nisi quod ibi legitur: ROMA RESURGENS. Illum quoque exhibet OUDAANUS tab. XXXII. n. 7. Talem TRAJANI memorant Jo. VALENS, sive VAILLANTIUS in Libro de N. aer. arg. Imp. T. II. & HARDUINUS in Opp. pag. 750. cum epigr. RESTITUTORI ITALIAE. Alium aeneum similem exhibet ille de N. aer. T. I. p. 49. cum inscriptione: REST. ITAL. S. P. Q. R. OPTIMO PRINCIPI. Utrobique assistunt duo pueruli nudi. (f) Similem M. AURELII ANTONINI cum inscriptione: RESTITUTORIS ITALIAE, idem VAILL. habet T. I. pag. 85. Exhibet eum ERIZZUS p. 334. & RUBENIUS in nummis *Archeologis* Tab. XLVII. n. 3. Nummum CARACALLAE, in cujus adversa parte eadem figurae cernuntur viro sinistra innixo hastae, muliere spicas offerente Imperatori, inter utramque proficiente cuniculo Hispaniae symbolo, sine tamen elogio RESTITUTORIS ex Gazophylacio Croyiaci Ducis idem Rubenius adducit tab. LIV. num. 20.

§. 8. Similem Lic. VALERIANI argenteum recenset Valens de N. Imp. T. II. p. 350. Imp. conspicitur paludatus & vocatur RESTITUTOR ORBIS. Exhibent illum quoque tabulae Croyiacae T. LX. n. 10. BEGERUS in Thef. Brandenb. T. II. p. 739. & HARDUINUS in Opp. p. 864. Eiusdem aereum cum epigr. RESTI-

(f) Eius rei causam esse puto beneficentiam ejus erga puerulos. Spartianus in Hadr. Pueris ac puellulis, quibus etiam Trajanus alimenta detulerat, incrementum liberalitatis adjecit.

STITUTORI ORIENTIS, in quo mulier dextra ostentat coronam, sinistram dat Imp. servat nummophylacium in hac urbe Viri nobilissimi, mihiq̄ amicissimi H. POSTHII. Obvius est nummus GALLIENI, in quo se vocat RESTITUT. GALLIAE, paludatusque & hastatus Galliam poplite flexo terrae incumbentem, laevaue cornu copiae gerentem erigit. Vide nummos RUBE-
NII CROYACOS T. LXI. n. 8. OUDAAN Tab. XXIX. n. 9. & L. BEGERI Thes. Brand. T. II. p. 744. Hic pariter RESTITU-
TOR ORBIS dicitur in nummo, in quo apparet paludatus inni-
xus hastae, dextram praebens homini nudo, eiq̄ue in genua pro-
voluto. Siftit illam nobis OUDAANUS Tab. VIII. fig. 7. Neque
commemorabilis minus est ejusdem GALLIENI nummus, in quo
eaedem fere figurae cum insolenti hoc titulo: CONSERVATO-
RIS PIET. apud BEGERUM p. 744. cernuntur.

§. 9. Videmus ut plurimum illis figuris additum titulum
RESTITUTORIS, quo significabatur ab Imperatoribus URBES,
PROVINCIAS, sive in iis Libertatem, annonam, pacem, securi-
tatem, disciplinam morum, leges, palatia, quaeque alia sunt humani
generis aut vota, aut bona reparata, RESTITUTAque. Ille titulus
uti in allatis nummis adjunctus est figuris feminae, quae genu flexo
manus supplices Imperatori tendit, ita & persaepe sine illis imagini-
bus in inscriptionibus juxta & nummis legitur. Docent id num-
mi VESPASIANI, TRAJANI, M. ANTONINI, SEPTIMII
SEVERI, CARACALLAE, ALEXANDRI SEVERI, VALE-
RIANI, GALLIENI, POSTUMI, AURELIANI, TACITI,
PROBI, JOVIANI, VALENTIS, MAG. MAXIMI &c. Ibi ap-
pellantur *RESTITUTORES REIPUBLICAE, LIBERTATIS, LI-
BERTATIS P. R. AC FUNDATORES PUBLICAE SECURITATIS,
URBIS, ORBIS, ORBIS PROVIDENTISSIMI, SAECULI, ORI-
ENTIS, GENERIS HUMANI, PROVINCIARUM, PATRIAE, MO-
NETAE*, uti id de singulis ostendi posset, id si nunc agendum no-
bis incumberet. Observo nunc tantum etiam aliis id honoris ad-
tributum, sic Posthumius LAMPADIUS, praefectus urbis Romae
in inscriptione Capuensi apud SPONIUM in Miscell. erud. Ant.
pag. 160. vocatur RESTITUTOR PATRIAE, & REDINTE-
GRATOR OPERUM PUBLICORUM, eundem titulum etiam
Jovi

Jovi dari in inscriptione apud SPONIUM itin. T. II. p. 325. deprehendo, I. O. M. RESTITUTORI AURUNTIUS NOVATUS.

§. 10. Inclinate Imperio Romano eadem paene figurae in nummis apparere saepius, ita tamen, ut una cum figura feminae ~~young~~ conspiciatur Imperator stans, paludatus, dexterâ gerens victoriolam, coronam capiti ejus veluti imposituram. Praeter haec epigramma profus est immutatum, & cum haecenus RESTITUTORIS tunc legi encomium notatum est, ita postea scilicet est, REPARATIO REIPUBLICAE: Talem VALENTINIANI ipse possideo, non ab aliis, quod sciam, memoratum, infra leguntur literae S. N. R. P. Tales VALENTINIANI jun. habet BEGERUS Thes. Brandenb. T. II. p. 832. quem & ipse inter meos numero. VALENTIS, & GRATIANI notat OUDAAN Tab. LXI. n. 6. GRATIANI exhibet PATINUS de num. Imp. p. 486. & BEGERUS Thes. Br. T. II. pag. 829. MAG. MAXIMI PATIN. p. 488. & BEG. p. 830. Praecipue autem hoc typo delectatus est magnus ille THEODOSIUS in nummis Archotanis apud HEMELARIUM T. LIX. num. 4. & apud RUBENIUM editionis Begerianae T. LXVIII. n. 6. PATINUM p. 490. BEGERUM c. I. pag. 832. & in Thes. Pal. p. 388. V. tit. hujus Disp. n. 4.

§. 11. Tamen etsi vero, ceu visum fuit, id factum est à non paucis, nemo tamen unus fuit Imperatorum, qui titulum RESTITUTORIS una cum illo symbolo, quale etiam Paneadense sigillum exhibet, plus aere publico signari voluit, quam quidem AELIUS HADRIANUS, qui adolescente saeculo secundo Romani orbis habenas moderatus est. Exhibet tales nummos *quindecim* vel solus Jo. HARDUINUS, Vir tantum ob prodigiosas, quas fovet, opiniones, quam raram, qua pollet, eruditionem commemorandus in *Hist. Augusta ex nummis* Opp. pag. 761. Nos, quos hinc inde observavimus, secundum literarum seriem recensēbimus, additis infra locis, in quibus illi adducuntur, illustranturque. Dicitur itaque RESTITUTOR ACHAIAE in nummo (g) in cujus medio

B

est

(g) Occurrit apud NONIUM ad Goltzii Graeciam p. 4. C. PATINUM in Nummis Imperat. pag. 194. Jo. VAILLANT sive VALENTEM de Numism. Imperat. T. I. pag. 60. & T. II. p. 132. Ad OCCONEM in N. Imp. p. 157. Seb. ERIZZUM in *discurso sopra le Medaglie Antichi* pag. 210. L. BEGERUM Thes. Brand. T. II.

est vas, ex quo eminet ramus oleae, qui ludos Achaicos respicit.
AEGYPTI. Citat hunc Jos. SCALIGER in notis ad *Euf. Can.*
Chron. pag. 209. Sed nemo ejus ætypum dedit. Unde magnum
virum ab alio deceptum esse, neque talem usquam extare suspicor.

AFRICAE, (h) in quo mulieris caput ornatum est proboscide, insigni Africæ, laeva tenet spicas, fertilitatis ejus symbolum.
Talem habet Museum in hac urbe *Postianum*.

ARABIAE, (i) cui adstat camelus, Arabiae signum.

ASIAE, (k) ubi femina ficta est capite radiato laeva gestans
sceptrum.

BITHYNIAE, (l) in illo apparet mulier turrata, cujus humeris
incumbit temo inverfus, infra est prora navis.

BRITANNIAE, CAPPADOCIAE, CILICIAE, DACIAE
& LYCIAE citat Goltzius, sed cum tales nemini deinde visi
sunt, quod & Ez. Spanhemius jam observavit, merito de illius
fide ambigitur. Ecquis enim omnes illos una cum Goltzio dispa-
ruisse sibi persuadeat? Citat tamen PATINUS de Num. J. p. 197.
haud dubie fidem Goltzii secutus. Interim CILICIAE mentio-
nem injicit ipse Spanhemius edit. in 4, pag. 857.

GAL

T. II, p. 657. HARD. I. c. Franc. ANGELONUM (sive J. Petrum BELLORIUM,
is enim libri verus auctor existimatur) in *Historia Augusta La Giulio Cesare à*
Constantino il magno illustrata, p. 148. n. 46. Inter nummos Ducis CROYACI
vel ARSCHOTANI, qui cum ab Alb. RUBENIO, tum à Joh. HEMELARIO illu-
strati sunt, apud illum Tab. XXXIX. n. 17. & hunc, Tab. XIX. n. 18. & denique
Joach. OUDAANUM, in libro Belgico, quem vocat Potentiam Romanam, *Room-
sche Mogendheid*. Tab. XXV. n. 1.

(h) Commemoratur ille CASAUB. ad Spart. c. 13. VAILL. T. I. p. 60. T. II. p. 153.
OCCONI pag. 157. HARD. I. c. Exhibent autem illum inter Croyiacos RUBEN,
Tab. XXXIX. n. 12. HEMEL, Tab. XIX. n. 7. ANGEL. p. 148. n. 48. ERIZZO
p. 211. PATINUS I. c. OUDAAN Tab. XXXV. n. 3.

(i) Mentionem ejus facit VAILL. T. I. p. 60. & HARD. I. c. Qui ejus imaginem de-
derit, mihi non innotuit.

(k) Describunt illum VAILL. I. c. OCCO p. 157. HARDUINUS I. c. Aeneis formis
expressum non vidi.

(l) Adducit hunc VAILL. I. T. I. p. 60. Jos. SCALIGER ad *Euf.* pag. 11. OCCO
p. 157. sed typum debemus Ez. SPANHEMIO de praest. Num. ed. Belg. p. 828. &
Londin. T. II. p. 625. BEGERO I. c. ERIZZO pag. 210. RUBENIO in *Croy*, T.
XXXIX. n. 18. OUDAANO T. XXIV. n. 7.

GALLIAE, (m) praeter commune illud *επιτροπια* nihil habet. Illud vide in titulo differt: n. 2 uti à memet ipso possidetur.

HISPANIAE, (n) Ante pedes mulieris cuniculus, vulgare Hispaniae emblemata, conspicitur. Talem possidet nummophylacium POSTIANUM.

ITALIAE, (o) Haec mulier cornu copiae sinistra manu portat.

LYBIAE, illius meminit Scaliger in Euseb. pag. 211. sed, qui praeter illum meminere ejus, scio neminem.

MACEDONIAE, (p) femina, quae illam repraesentat, flagellum gerit in humeris.

MAURITANIAE, (q) sola hic occurrit in genua procumbentis coram Caesare mulieris imago.

NICOMEDIAE, (r) habet haec mulier tropaeum humero impositum; urbis illius, quae à Νικη, i. e. victoria nomen habet, insigne. Collige ex hoc nummo, non solum provincias, sed & urbes ac civitates venerationem suam ejusmodi symbolis esse testatas.

PHRYGIAE, (s) in illo hanc conspicari licet more Phrygio vestitam, tectam pileo Phrygio, & laevam ramum gestantem.

SICILIAE, (t) in illo feminae caput cinctum est spicis, quales etiam dexteram tenet, ut insulae illius fertilitas innueretur.

TERRARUM denique ORBIS, (u) cujus signum, sc. globum

B 2 figura

(m) Citant HARD. l. c. VAILL. l. c. & T. II. p. 153. OCC. p. 157. Exhibent autem BEGERUS l. c. RUBENIUS t. 39. n. 5. HEMELARIUS tab. XX. n. 1. OUDAAN Tab. XXIX. n. 7.

(n) Praeter HARDUINUM l. c. VAILLANTIUM T. I. p. 6. & T. II. p. 154. OCCONEM p. 156, 157. vide PATIN. l. c. BEGERUM l. c. ERIZZUM p. 212. RUBEN. tab. 39. n. 22. ANGEL. p. 148. n. 45. OUDAAN T. XVIII. n. 12.

(o) Commemorant hunc HARD. & VAILL. locis adductis, sed typum videre est apud ANGEL. p. 148. n. 49.

(p) Allegant illum HARD. & VAILL. l. c. Delinearunt RUBEN. t. 39. n. 21. & ANGEL. l. c. n. 45. OUDAAN Tab. XXV. n. 1.

(q) Non licuit ejus typum videre. Citant tamen Scaliger ad Euseb. p. 11. HARD. & VAILL. l. c.

(r) Illius eotypum obtulit nobis Ez. SPANHEM: ed. Belg. p. 228. & Lond. T. II. pag. 625. Allegant HARD. & VAILL. ll. cc.

(s) Memorant illum HARD. & VAILL. & OCC. l. c. sed ejus icona videre est apud ERIZZUM p. 245. ANGEL. p. 148. n. 44. OUDAANUM. T. XXIV. n. 18.

(t) Hujus & VAILL. & HARD. l. c. meminere.

(u) Et illius mentionem injiciunt VAILL. & HARD. l. c. & OCCO pag. 158. Sed ipse

figura mulieris sustinet. Caput illi radiatum sive coronatum est, uti in figura, quae in titulo est, n. 1. videre licet.

§. 12. Hi nummi omnes eisdem prorsus figuras, quales ex aere ductas se vidisse apud Pancadenfes Eusebius commemorat, repraesentant, & simul elogium RESTITUTORIS additum habent. Est adhuc alius, illis geminus prorsus, quoad figuras, ast circa epigramma diversus. Neque enim RESTITUTORIS apud illum est mentio, sed infra legitur, JUDAEA. Est ille *sane eximius*, uti eum recte HARDUINUS vocat, sed & est multo rarissimus, cum praeter Seb. ERIZZUM, qui eum pag. 252. delineatum exhibet, & OUDAANUM Tab. XX. n. 1. nemo illum adtulerit. Vide ejus ectypum in dissert. hujus epigraphe n. 3. Habet illud prae reliquis peculiare, quod cum in similibus sculptae mulieres uni tantum genu innixae cernantur, heic utroque flexo occurrat, & simul trium parvulorum, quasi opem Imperatoris implorantium, icunculae simul adjectae sint, quas triplicem respicere Palaestinae divisionem, qua in Judaeam, proprie dictam, Galilaeam, & Peraeam dispescitur, conjicit Harduinus. Hoc certius est, illum prae aliis observandum, cum, quod in Judaea fuisse Hadrianum indicet, tum, quod & illum in illis terrarum tractibus, ad quos & Paneas pertinebat, tali sub figura expressum fuisse nos addoceat.

§. 13. Quaeris, quid causae sit, ob quam tot per orbem Romanum dispersae regiones & provinciae devotum suum animum nummis expressum prae aliis Principibus HADRIANO praecipue declarare, eumque tam splendido RESTITUTORIS elogio condecorare voluerunt. Est ea in promptu. Nemo fuit, qui tot perfectiones per provincias instituit, tot regiones peragravit, tantisque beneficiis loca, quae pertransibat, sibi devinxit, quam id quidem ab Aelio factum est Hadriano Trajano. Is Romam discedens circa A. 120. Italiam, Galliam, Germaniam, Britanniam, Hispaniam, Mauritaniam, Moesiam, Thraciam, Scythiam, Graeciam, Siciliam, Macedoniam, Illyricum, Asiam, ejusque unversas provincias, Arabiam, Aegyptum, Libyam, totumque Orientem

ipsum imaginem aere expressam dant ERIZZ, p. 211. in nummis Arschotanis. HELMEL tab. 19. n. 1. RUBENIUS t. 39. n. 2. ANGEL, p. 148. n. 53. BEGERUS l. c. OUDAAN T. XVIII, n. 1.

tem idque pedes, ut plurimum, & caput nudus, incredibile tamen celeritate circumvixit. Unde tot exstant illarum regionum numismata omnis generis & modi ADVENTUI AUG. consecrata. (v) Inde & ei nomen datum esse Herculis, existimat Casaubonus. Certe neminem unquam principum tantum emensum esse itinerum & Dio & Spartianus observarunt. Neque tamen id tantum ad ejus laudem facit, quam, quod ubi terrarum cunqve versabatur, insignia reliquerit ubique liberalitatis suae, magnificentiae, justitiae, atque *εὐεργετίας* monumenta. Non dixero, quod tamen D. narrat Chrysostomus ad Act. Cap. XXV. eum Civitatem Romanam *omnibus* imperio Romano subiectis impertivisse. *Multis* enim id dedisse civitatibus, non omnibus, testatur Spartianus, idque beneficium M. Aurelio Antonino deberi uberrime ostendit Ezech. SPANHEMIUS in orbe Rom. Exerc. II. integra. Neque celebravero incredibilem illam liberalitatem, qua usus erga Populum Romanum debita illi omnia remisit, quae in urbe & Italia unquam, quae in provinciis per XVI. annos contraxerant, nullo tali retro Principum exemplo, syngraphis, quo igneo spectaculo nihil poterat esse suavius, in foro Trajani, ut magis securitas omnibus corroboraretur, concrematis, quorum summa fuit *SESTERTIUM NOVIES MILLIES CENTENA MILLIA.* (x) Suidas in excerptis de Caes. vitis scribit: Πολλοὺς παύλα καὶ δημοῖς καὶ ἰδιωτάων χάρισι δῶν, multis multa & populis & privatis beneficia exhibuisse. Hinc.

B 3

- (v) Vide de illis VAILL. T. I. p. 58, 59. Ezech. SPANH. ed. pr. p. 8. 26. sqq. & in primis HARD. Opp. pag. 760. b. Ad. OCCONEM p. 157. BEGERUM T. II. p. 656.
- (x) Ita numerat inscriptio vetus, quae exstat apud MABILL. *Anal.* T. IV. pag. 486. MAZOCHIUM fol. IX. BOISSARDUM, MARLIANUM, On: PANVINIUM in factis pag. 220. & GRUTERUM pag. X. num. 6. Sed & hujus summae memoriam ad posteros propagarunt nummi duo, in quorum uno Imp. cernitur togatus, stantibus ex adverso duobus senatoribus pariter togatis, in altero listor cum falce, & cum face, qua literarum fasciculum, i. e. syngraphas comburit, ex adverso stat Imperator illi id quasi iussurus cum duobus Senatoribus. Epigraphe haec est: *RELICTA VETERA. H. S. NOVIES. MILL. ABOLITA.* Memorat eos HARD. Opp. p. 756. VAILL. T. I. p. 60. OCCO p. 153. SCALIGER ad Enf. p. 210. ERIZZO p. 250. OUIDAAN T. VIII. n. 9. Inprimis autem consulendus, qui nunquam sine fructu consulitur Ez. SPANH. de praest. Num. T. II. p. 52. Summam ipsam Spartianus vocat *infinitam.* Jos. SCALIGER exputat summam XVIII. millionum, & praeterea 750000. aureorum solatorum, TILLEMONTIUS 25500000. ecus d' Or.

Hinc Pausanias vocat in Atticis p. 3. ἐς ἀπῶς δὲ ὡν ἤρχεν ΕΤΕΡΕ-
ΣΙΑΣ, καὶ εἰς τὴν πόλιν μάλιστα ὑποδείξαμενον τὴν Ἀθηναίων, & rurſus p. 5.
τῶν ἀρχομένων ἐς εὐδαιμονίαν τὰ μέγιστα ἕκαστος παρερχόμενον.

§. 14. Hunc beneficum ejus animum expertae in primis sunt
civitates, neque enim defuerunt illi memorabiles occasiones, qua
suam illis voluntatem insignite declararet. Audiamus DIONEM
in ejus vita Lib. LXIX. p. 790. τὰς ΠΟΛΕΙΣ, τὰς δὲ συμμαχίδας καὶ
τὰς ὑπικόως, μεγαλοπρεπέστατα ὠφελήσῃ. πισταὶ δὲ, ὡς εἶπεν, ἐπεκουρησῃ,
τοῖς μὲν ὕδωρ, ταῖς δὲ λιμένας, σίτον τε καὶ ἐργα, καὶ χρήματα, καὶ τιμὰς ἀλ-
λαῖς ἀπῶς δίδους. URBES, tam socias, quam subditas magnificentissime
juvit, omnibus equidem subvenit, aquas aliis, aliis portus, annonam & o-
pera, & pecuniam, & honores aliis alios largiens. Sic OMNIA Campaniae
OPPIDA beneficiis & largitionibus sublevasse Cap. 9. refert SPAR-
TIANUS, qui & Cap. XXI. scribit: Fuerunt ejus temporibus fames, pe-
silientia, & terrae motus, quae omnia, quantum potuit, procuravit, mul-
tisque CIVITATIBUS vastatis per ista subvenit. Fuit etiam Tiberis in-
undatio. Latium multis civitatibus dedit, tributa multis remisit. Rem
tribus verbis complectitur Aurelius VICTOR in epit. cap. XIV.
OPPIDA UNIVERSA RESTITUIT. Nota hoc verbum RESTI-
TUIT, quae veluti fax est, qua titulus ille RESTITUTORIS, quem
toties ei datum esse in nummis visum est, illuminari queat. Con-
venit & haec vox HADRIANO optime, quod singillatim urbibus
horrore soli concussis auxilium suum praesto esse voluerit. Ita de
eo in Chronico testatur Eusebius pag. 166. Terrae motu facta Nico-
media ruit, & vicinae urbes plurimae eversae sunt. Ad quarum instau-
rationem Hadrianus de publico est largitus impensas. Ita Alexandriam à
Romanis subversam (quod tamen nunquam à Romanis factum est)
publicis instaurasse impensis, idem Eusebius auctor est. Idem NI-
CAEAM terrae motu concussam quoque restituisse una cum Syn-
cello & Nicephoro commemorat. ATHENAS ita ornavit, ut à
fundamentis instaurasse credatur, ejusque inde (y) urbs dicta fue-
rit. Sane plusquam εἰκοσάκις urbium afferre liceret, quae nomen
suum

(y) In ejus arce, antequam in Turcarum potestatem venit, hi lecti sunt versiculi teste
Sponio:

Ἄϊδ' εἰς Ἀθηναίαν Θεσσαίας πρῶτον πόλιν
Ἄϊδ' Ἀθρηνῶν, ἢ εἰς Θεσσαίας πόλιν.

uum ab eo mutuatae sunt dictae *Aeliae, Aeliopoles, Hadrianae, Ἀδελιω-
ποι, Hadrianopolis, Ἀδελιωπόλις*, si id nunc agendum foret.

§. 15. Haec atque alia id genus plura effecerunt, ut omnium studia, voluntates animosque sibi conciliaret, & urbes inprimis id certarent, quo memorem tantorum beneficiorum mentem manifestarent publice. (z) Hinc dignitatibus eum auxerunt. Audiamus *SPART*: in ejus vitâ c. 19. *In Hetruria praetura Imp. egit. Per Latina oppida Dictator & Aedilis, & duum Vir fuit. Apud Neapolin Demarchus in patria sua quinquennalis, & Athenis Archon fuit. In OMNIBUS paene URBIBUS & aliquid aedificavit, & ludos edidit.* Dicti sunt illi *Ἀδελιωται*, quorum creberrimam mentionem faciunt lapides & nummi. Hinc tot illi statuas ponendas publice & *MEMORIAE AUG. PERPETUAE* dicandas, decreverunt. Ut de solis loquar *ATHENIS*, ibi ejus statuam in porticu visam memorat *PALLANIUS* Lib. I. p. m. 3. In templo Jovis Olympii, quod ibi erat, urbes singulas ei statuas dedicasse, Athenienses autem colossum mirandi operis ei possuisse idem p. m. 16. testatur. Uti & in templo *Παρθενον* dicto ejus *εικονα* se vidisse pag. 22. scribit. Quin & ex Patrio marmore urbes Achaici conventus *ἑνδεκαυτα* illi excitasse idem pag. 22. refert. Hinc invidendis *PROPAGATORIS. ORBIS. TERRARUM. LOCUPLETATORIS. CIVIUM. LOCUPLETATORIS. ORBIS. TERRARUM. PRINCIPIS. OPTIMI. MAXIMIQUE. JOVIS. OPTIMI. MAXIMI. ROMULI. CONDITORIS. PATRIS PATRIAE*, inprimis autem provinciarum, urbium, orbis terrarum *RESTITUTORIS* titulis in nummis publico aere signatis eum cohonestarunt. Magnum quidem illorum numerum, quos rerum edax tempus servavit, allegavi, plures tamen dubio procul illud absorpsit.

§. 16. Atque hinc existimo interpretationem & lucem illi *ἰσχυραίων*, quod apud Pancadenfes fuit, mutuandam esse. Videlicet, fieri potuit, ut publicae calamitates, *vel fames, vel pestilentia*, vel terrae tremores, quales temporibus Hadriani incidisse modo testantem Spartianum audivimus, etiam Pancadenfes vexaverint. Tum Hadrianus eorum miseratus damna auxiliatrices praebuit manus.

(z) Sponius in Itin. T. II. p. 353. *Il n'y a point d'Empereur, qui ait recu tant de remerciemens de ses provinces, que ce Prince genereux &c.*

manus, vel moenibus collapsis instauratis, vel tributis & vestigalibus remissis, vel coercitis praesidibus licentius in munere verfantibus, (id quod speciatim Hadriano tribuit Spartianus) vel etiam, fundis civitatis ad publicas ejus necessitates deputatis, id quod prisca institutione receptum docet constitutio Theodosii Lib. XIII. C. de vestigalibus. Tantis beneficiis se Imperatori, ut nexu mancipioque devinctam esse testaretur, & hanc gratiae voluntatis suae significationem publice ederet S. P. Q. Paneadensium, ex more illius aetatis monumentum illud aeneum marmoreumque excitari curavit, quo civitas sua Domino suo supplex facta, & in genu provoluta, atque ab eo arrepta manu, & elevata in aere vivo expressa conspiceretur. Ex quibus eam saltem probabili veri specie, qua luculentior in rebus id genus vix dari queat, conjicias ipsum illud monumentum, quod Eusebius Caesareae Philippi vidit, illud fuisse, quod devota Paneadensium civitas Hadriani *εὐεργετῆς* sui honoribus olim consecraverat.

§. 17. Cum autem prae aliis statuo illam molem fuisse Hadriani, id (B) porro fit, quod & has oras ille lustravit frequenter, &, quod ita licet non ineptam rationem dare, quae ut Hadrianum in Christum nostrum commutaret, populum impellere potuit. Nimirum Hadrianus, jam ante, quam imperii gubernacula capeffivit, in Syria a Trajano legatus constitutus est, & teste Spartiano tum temporis, quando moriebatur Trajanus Antiochiae, quae Syriae caput est, neque longe à Paneade distabat, commorabatur. Ad Syriam quoque tum quidem Phoenice pertinebat, licet deinde ex odio erga Antiochenfes Syriam à Phoenice separare voluerit teste Spartiano Cap. 14. Cum autem Paneas Phoenices, cui praeerat, urbs esset, frequens illi cum illa potuit esse commercium. Deinde in has oras rediit confecto itinere in Africam. Ita enim Spartianus Cap. 13. *Quum post Africam Roman rediisset, statim ad Orientem profectus est.* Illud autem factum sexto imperii anno, i. e. anno U. C. 976. Christi CXXIII. si fides habenda Eusebio in Chronico. Judaeam quoque salutavisse testantur nummi in illius itineris memoriam cusi, non solum ille, quem tractavimus §. 12. sed & ille, cujus epigrapha est ADVENTUI. AUG. JU.

JUDAEAE, (a) Hujus itineris per Judaeam in Aegyptum quoque facti meminit Dio p. 279 & ex eo Xiphilinus.

§. 18. In primis notandus est locus EPIPHANII in Lib. de mensuris & ponderibus c. 14. Σπεῖεται τὴν πορείαν ἐπὶ τὴν τῶν Αἰγυπτῶν γῆν. Ἐδεῖ δὲ αὐτὸν ὅσοι τῆς Ῥωμαίων ἐπὶ τὰς ἕξης προβαίνοντα πόλεις ταύτας κατ' ἑπταεῖν. Ἦν γὰρ ὁ ἀνήρ Φιλοῖσωρ, διερχεται ἐν τὴν Ἀντιόχειαν πόλιν, ὑπερβαίνει τε τὴν κοιλίαν, καὶ τὴν Φοινικὴν, καὶ ἔρχεται εἰς τὴν Παλαιστίνην, τὴν καὶ Ἰουδαίαν καλεσμένην μετὰ ἐπιμύθου τῶν Ἱεροσολυμίων ἐρημώσεως; Haec ita verbit Dionysius PETAVIUS: *Itaque in Aegyptum profectus cum Roma discedens urbes illas, quae in itinere positae sunt, obire ac perlustrare vellet, ut erat videndi, explorandique cupidus, inter caeteras Antiochiam & Coele Syriam, Phoenicem & Palaestinam, quae Judaea dicitur, peragrans anno, quam eversa fuerat XLVII. Hierosolymam contendit, & reliqua.* Quando nunc nominatim diversa haec itinera instituta sint, id in dubio est. *Peregrinationes enim Hadriani, incertas admodum habent periodos, ut ad certos consulatus & annos referri vix possint, ut recte monet Andreas MORELLIUS.* (b) Saltem Epiphanius in hoc loco non recte calculos posuit. Cum enim scribat id factum anno quadragesimo septimo post Hierosolymae *πανολιθεσίαν*, illa autem ex cisa sit A. C. LXX. inde sequeretur, Hadrianum illud (c) iter motum esse A. C. CXVII. eoque ad finem vergente i. e. primo imperii sui anno, quo sc. moriente Trajano die XI. Aug. illud aggressus est. Sed tum quidem ille versabatur Antiochiae in Syria, cui praeerat, sed inde Catilio Severo post se relicto, non per Palaesti-

(a) Adducunt illum nummum VALL. T. I, p. 89. HARD. Opp. p. 760. Typus exhibetur ab ERIZZO p. 253. RUBENIO in Croy. tab. XXXVIII. n. 20. OUIDAANO Tab. XX. n. 2. In eo cernitur fig. muliebris Judaeam representans, laeva tenens palmam, Judaeae symbolum, Imperator adstat eo habitu, quem in reliquis nummis vidimus. Inter utrumque est ara, in qua mulier adolere thus cernitur, illam cingunt pueruli duo, quarum unus pariter palmam gestat. Sed & arae adstat fons, quem à Viris, quos nominavi, non observatum miror. Haud dubie id factum est, ut aegre fieret Judaeis, sicut & deinde Hierosolymorum portae, quam de suo nomine Aeliam appellavit, porcum ex marmore insculpi in gentis illius opprobrium voluit Hadrianus.

(b) in spec. rei nummariae tab. X. p. 113.

(c) Confer de illo TILLEMONTIUM in N. ad Adr. N. 4. & VI. dans l'Hist. des Empereurs T. II. p. III. p. 969. A. PAGI in Critica ad Baronii Ann. sac. II. pag. 33. A. MORELL, in spec. p. 113. PETAVIUM in Anim. ad Epiph. p. III. 393.

laestnam, in Aegyptum, quantum quidem constat, sed Romam recto cursu per Illyricum perrexit. Si vero cum Baronio aliisque anno LXXII. Hierosolymam everfam statuere vis, ex calculo Epiphani a. CXIX. vel CXX. iter illud per Judaeam confecisset, sed id statui nequit, cum his temporibus vel Romae, vel in Moesia & Sarmatia, vel Gallia fuit, id quod ejus historia clarissime docet. Si mihi esset in re hac ambigua aliquid dicendum, tertio huic itineri assignarem annum Imperii XII. Christi CXXIX. Idque ita puto posse confici. Anno Imperii XII. Christi 129. qui erat U. C. 882. mense Martio, Hadrianus Romae fuit. Id patet ex L. V. Digest. tit. 3. L. 20, ubi §. 6. haec leguntur: *Pridie Id. Martias Q. Julius Balbus, & P. Juventius Celsus Sc. Consules verba fecerunt, de his, quae Imp. Hadrianus proposuit V. Non. Martias, quae proximae fuerunt &c.* Jam illi nominati & Balbus & Celsus, ut facti docent, illo anno 129. Consules fuere. Porro anno sequenti, Imperii ejus XIII. U. C. 883. Christi 130. in Aegypto versabatur, quando Antinous, ejus delitium, Nili fluctibus obrueretur, testantibus id Eusebio & Hieronymo. Inde conficio, si statim post Nonas Martias A. CXXIX. Romam discessit, & tunc per Graeciam & Palaestinam Aegyptum petiit, cum aetas esset, moriente ejus Imperii anno duodecimo, i. e. Christi CXXIX, vel sub initiis sequentis anni urbem Paneada illustrasse. Anno autem C. CXXXII, adhuc Alexandriae in Aegypto versatum fuisse, evincunt nummi ibi cusi, & literas L. IE, i. e. decimum quintum Imperii, sive Christi 132. prae se ferentes. Biennio postea an. 134. Syriam & Graeciam peragrans Aegypto decedens, revertitur Romam.

§. 19. Quomocunque autem se res habet, neque enim haec morari nos possunt, teste Dione, per Judaeam in Aegyptum profectus est, & deinde Aegypto redux in Syriam abiit; Ex Epiphani porro adductis verbis liquido colligere est, Hadrianum per Coelesyriam, Phoenicen, & Palaestinam, sive Judaeam itinere facto in Aegyptum penetrasse. Adeoque cum Paneas in confinio Syriae, Coelesyriae, Phoenices, Palaestinae & Judaeae collocata sit, ita ut vix eas provincias peragrans potuerit Caesar non salutata Paneade, illam quoque multis nominibus (d) com-

(d) v. gr. ob Panium montem, Panium antrum, vetustissimo Panis simulacro nobile.

memorabilem urbem, ut erat *φλοίσωρος*, quo verbo utitur Epiphanius, sive, ut Tertull. in Apol. dicit, *curiositatum omnium explorator*, sua cohonestasse praesentia vix ambiguum est, sive id sub auspiciis regiminis sui, sive ejus anno sexto, sive duodecimo, sive, cum ex Aegypto a. 134. reverteretur, fecerit. Hoc enim nobis perinde est. Salm, cum soleret ubique insignia circumferre beneficia, talibus quoque Paneadem maestavisse, atque ab his in grati animi significationem pro more tum temporis inter civitates recepto illud ex marmore & aere signum, quod describit Eusebius, ad typum, qui in nummis ejus apparebat frequentissime, constandum, figendumque curavisse, valde veri est simile. Illud autem factum esse sub aetate memorati anni 129 vel 130. adductae circumstantiae non obscure docent.

§. 20. His vero & aliud, quid adjungendum est. Videlicet (C) egregia quaedam & oris, & staturae, & vestium similitudo, quae Christo & Caesari communis fuit, quaeque facile inducere hominum animos potuit, ut signum illud huic dicatum in illum transferrent. SPARTIANUS Hadrianum ita describit: (1) *Statura fuit procerus*, (2) *forma comtus*, (3) *flexo ad pectinem capillo*, (4) *promissa barba*. Talem etiam in nummis, quorum non exiguum numerum possideo, contemplor. Secundum autem quatuor illas partes similis Hadrianus omnino fuit JESU CHRISTI, si hujus profopographia, quae in veterum scriptis & nummis non unis circumfertur, vera & genuina est. Nam sive Lentuli Proconsulis ad Senatum Romanum de Christo exaratam epistolam, (e) sive illam formae Christi *ἐκτυπωσιν* diligenter factam, quam Joannes DAMASCENUS in epist. ad Theophilum Imp. exhibet, quae à Combesio manipulo RR. Constantinopol. p. 110 sqq. inserta est, qualem, ut ait, *οἱ ἀρχαῖοι ἰσραηλῖται διαγράφουσιν*, aut illas descriptiones, quas, nescio quis

C 2

templum, quod Augusto Caesari ibi extruxit Herodes, vicinum montem Libanum, praecipue autem fontes Jordanis, ex illo antro scaturientes, & si quae sunt alia.
 (e) Legi illa potest ap. *REISKIUM* de Imag. Christi L. VII. c. 1. in *J. A. FABRICII* Cod. Apocr. N. T. T. I. p. 301. In *ORTHODOXOGR.* PP. quae cura prodierunt Heroldi, a. 1555. & rursus, in iis quae debemus *J. J. GRYNÆO* a. 1569. In Apocryphis, quae Michael *NEANDER* una cum Graeca Catechesi sua edidit Bas. 1567. Jo. Barthol. *CHASSANAEI* Catal. mundi P. IV. p. 98. Jo. *BUXTORFII* Catal. Philol. cap. 200. ita ut vel sola Basilea quatuor nobis exempla dederit.

quis Epiphanius monachus, & NICEPHORUS Hist. eccl. Lib. I. c. 40. dederunt, consulamus, sive illas imagines ex nummis, quarum quatuor species Joh. REISKIUS in Lib. de Imagg. Christi ad pag. 182. sistit, consideremus, sive istas effigies, quas P. ARINGHIUS Romae subterraneae Lib. II. c. 22. p. 228. & Lib. III. cap. 22. p. 320. delineatas exhibuit, contemplemur, ad oculum patebit, quae in Hadriano notavit ejus vitae scriptor, illa in Christo quoque singula fuisse conspecta, nimirum (1) & *staturae proceritatem*, & (2) *formae elegantiam*, & (3) *flexos ad pedinem crispasque crines*, & (4) denique *barbam*. Conferre solum liceat, quae habet DAMASCENUS c.l. ubi Christum vocat (1) *εὐληκία*, *statura praestantem*, (2) *συνοφρον, εὐοφθαλμον, ἐπιρρινον, junctis oculorum superciliis, oculis venustis, naso adunco* (quod inprimis in Hadriano observatur) (3) *ἐλαθεξιν, crispo capillo*, (4) *γενειάδα μελανά έχοντα, nigram barbam gerentem*.

§. 21. Et hujus equidem barbae prae caeteris habenda est ratio, quod talis ubique, ad amussim Christo tribuitur, qualem Hadrianum gessisse nummi docent, praesertim ii, in quibus mulieri *γονυπετη* dexteram porrigere cernitur. Dio observavit Hadrianum primum fuisse Imperatorum, qui barbam promissiores nutriverit, cujus causam hanc tradit SPARTIANUS, *ut vulnera, quae in facie naturalia erant, teperet*. Barbam illi promissam objicit Julianus in Caesl. vocans *βαθειαν έχοντα ὑπινην ἀνδρα σαβαρον*. Unde saltem id constat, neque Trajanum, neque reliquos, qui ante eum rerum potiti sunt, Imperatores, isthoc Paneadensium monumento potuisse designari, quod tunc temporis illud applicari Christo nequivissent, quem omnino ex more Judaeorum barbam aluisse constat. Cum autem & Christus in omnibus simulacris effingi soleat barbatus, & quidem eum in modum, quo Hadrianus, vel hinc aliqua hauritur ratio, qua factum est, ut hujus *ἀγαλμα* illi adscriberetur.

§. 22. At vero, inquires, dudum auctoritatem & Lentuli & Damasceni, Nicephori confossam esse, nummorum etiam fidem valde vacillare, traditiones de forma Christi esse ancipites, adeoque de illa nihil nobis certi constare. Nihil horum inficior. Neque enim nunc quaeritur, an Christus ea vultus specie, ea habitudine corpo-

corporis fuerit, (f) qualem illi homines descriperunt. Sed id quaeritur, ane tales imagines Christi circumlatae fuerint, isque adeo simili & oris & vultus habitu fuisse creditus sit? Illud autem sane cum magna verisimilitudine conjunctum est. Nam à primis temporibus Christi imagines à se possideri multi persuaserant sibi. Id de Gnosticis narrat Irenaeus in Lib. contra haereses C. 14. Tales Hadriani tempore fuisse ex eo liquido constat, quod ille templa facere cogitavit in omnibus civitatibus, in quibus simulacra Christi erigeret, si fides habenda LAMPRIDIO in Alex. Severo Cap. 43. qui & hunc in larario suo Christi habuisse imaginem auctor est Cap. 29. Carpocratis quoque discipulos & pictas & ex auro argentoque fabricatas Jesu imagines, ut venditabant, habuisse refert Epiphanius, quando illorum haereses describit. Sane Eusebii temporibus Christi non solum, sed & Apostolorum Petri & Pauli *εἰκόνες* in tabulis visas esse ipsum illum asserentem Cap. I. §. 2. percepimus. In illis autem picturis Christum eo modo fuisse representatum, quo deinceps à Pseudo. Lentulo & Nicephoro descriptus fuit, vix dubitare licet, cum eum non alià fuissent descripturi formâ, quam eâ, quâ longe antea vulgo in imaginibus expressum fuisse noverant. Unde conficitur, D. N. J. C. superstite adhuc Eusebio solitum fuisse haut aliter pingi fingique, quam deinde in sequentibus factum est temporibus, i. e. eum in modum, ut ei cum Hadriano multum intercederet adfinitatis. Et sic eo proclivius habemus hariolari, quo pacto statuam, quam Pancados incolae dedicaverant Hadriano, Jesu Christi esse, persuaderi paulatim quiverit omni populo.

§. 23. Persuasionem hanc auxit, confirmavitque *habitus* similitudo, quod in illo *ἀνδραγαθῶν* Vir conspiceretur eo vestimenti genere circumamictus, quo usus est Hadrianus, hoc autem non discreparet multum ab eo, quo Sospitorem nostrum incessisse putamus. Vestem humillimam gestasse Hadrianum sine ornatu in ejus vita testatur Spartianus cap. 10. Alias semper cum in Italia esset togatum fuisse, hoc eidem auctori, id affirmanti Capite 22. credendum est. Cum autem extra Italiam urbes circumiret, sine toga,

(f) Catalogum eorum, qui de forma Christi scripserunt, exhibuit summus noster, Cel. LAMPIUS ad Ps. XLV, Ex. III, §. 17.

toga, atque ἀνευ βασιλικῆς παρασκευῆς processisse Dio testatur. Tum enim ut Græcorum se accommodaret moribus, Romanorum togam cum Græcorum commutavit pallio. Quod eo factum est facilius, quo minus inter se differrent. Toga enim, ut vetus ait, Scholiastes Persii, est *purum pallium forma rotunda & fusiore atque inundante sinu*, unde & illam *teres pallium* vocabat Tertullianus. Quam optime autem ejus vestitum cognosces ex nummis, & quidem iis, in quibus figuram in genu procumbentem elevat. Qui quidem habitus in Domitiani pariter, & successorum Hadriani, sc. Antonini Pii, & M. Aurelii numismatibus observatur. Non auis definire, num toga, an pallium sit, quod nolim me immisceere tractandae de re vestiaria veterum materiae, quae, tametsi à summis viris Manutio, Casaubono, Salmasio, Kerckœtio, Ferrario, Rubenio, Bossio, Donio, Bartholino, Braunio, atque aliis sit excussa, intricata tamen adhuc, neque expedita satis est. Id tamen in nummis videmus, vestem esse longam, demissam ad talos, laxam, fluentem, qua totum corpus a capite ad talos circumvolvebatur. Exertum est brachium nudum, quod in *palliatis* notatur, non in togatis, nisi sit *toga submissa*. Praeterea nudus conspicitur pedibus, id quod pariter locum non habuit apud illos, qui induti erant toga, cujus calcei perpetui comites, aut, ut Tertullianus ait, *proprium tormentum* erant.

§. 24. Certe convenire illi optime videtur illud nomen, quod vesti Viri in signo Paneadensium impertiit Eusebius, quando illum describit *Διπλοῖδα κοσμῶς περιβεβλημένον*, i. e. cui *Διπλοῖς comite circumjecta* sit. Nolumus, quid illud vestimenti fuerit investigare operosius. Videantur, quae de illa notarunt alii. (g) Ipsa vox satis indicat, quid sibi velit. Sc. *Διπλοῖς*, est *διπλον ἱματίον*. Sive vestis ita ampla & lata & longa, ut eâ bis quasi, sive duplicando circumvolvi possit corpus. Ruffinus & Haymo vertunt *stolam*. Reete. Id enim nominis pro omni *περιβληματι* tam mulierum, quam virorum sumitur. Horatius L. I. ep. 17. v. 15. vocat *duplicem pannum*. Talem fertur Crates gestasse. Ita *τριβωνα διπλωσαι* primum Antisthenem, & deinde Diogenem Cynicum Laertius docet L. VI. v. 15. & 22. ubi vide Menagium. Et tale duplicatum pallium

(g) SALMASIUS in Tertull. de pall. p. 397. FERRARIUS de re Vest. P. II, L. IV. c. 19. & in Anal. c. 19. RUBENIUS de re vest. c. 7.



lium Cynicorum communis vestis fuit. An illi per omnia con-
venerit cum illa, quae in Caesareensium visebatur *μνημειω*, aut
veste, qualem gessit Hadrianus, non habeo dicere. Sufficit, quod
& *περιβολαιον*, quo circumcinctus in nummis apparet Hadrianus,
& ipse illam *νοσμιως περιβεβλημενος* per dici commode possit;
uti consideranti nummos *εφθαλμοφανεως* patebit.

§. 25. Simili autem vestimenti genere tectus, cum in terris
versaretur, incessit divinus Salvator noster. Quale quidem illud
fuerit, exacte tradi non potest. Illud enim sacrae literae nos non
docuerunt; Id quod sine singulari Dei providentia non puto fa-
ctum esse qua de re tamen agendi hic locus non est. Hoc tamen
ex Joh. XIX. 23. constat D. N. I. C. duplici usum esse vestis ge-
nere, sc. *ιματιοις* & *χιτωνι*. Recte If. CASaubonus, (h) qui
μοψφες habet GROTIUM, SALMASIUM, aliosque, observa-
vit *τα ιματια* hoc loco ex Ebraeorum consuetudine pro singulari
esse positum. Pergit porro hunc in modum. *Certum est Ebraeorum*
vestem exteriorum fuisse, quam ipsi vocabant מעיר, quae dictio in Graecis
Bibliis varie pro loco aut judicio interpretum versa reperitur ποδηρης, υπο-
δύτης, επενδυτης, ΔΙΠΛΟΙΣ, ζολη, ιματιον. Sed constat è scriptis Rabbinorum,
quod fuit Graeci pallium, toga Romanis, id fuisse Hebraeis Mehil.
Quemadmodum igitur Graeci pallio uno utebantur, non pluribus, Romani
toga una, non duabus, aut tribus, sic Judaeos unicam vestem exteriorum
MEHIL gestasse, indubitatum esse debet. Haec vir magnus scopo meo
profus convenientia habet. Gestavit enim DOMINUS interior-
rem vestem talarem, quam vocabant χιτωνας, quae est Ebraeorum
כתובה & transpositis literis Latinorum TUNICA. Sed & tectus
alio vestitu fuit, sc. pallio, quod alias לבוש, סותה, תכריך, dice-
batur, exteriori & quadrata veste, quae inde eo facilius in qua-
tuor partes scindi, totidemque distribui militibus potuit. An-
diamus rursus Casaubonum; ERAT, inquit ille, pallium vestis
Ebraeorum ampla, non multum dissimile pallio Graecorum, quod in quatuor
partes commodissime secari potuit; constabat enim e quatuor pannis certo
modo inter se junctis, quam ob causam passim Graecis τετραγωνιον ιματιον,
quadrata vestis, appellatur. Illud itaque Christi ιματιον apte dici
potuit Διπλοισ. Nam το מעיר, quale Christus gestavit, oi LXX.
saepius

(h) In exercitatt, contra Baron, Ex, XVI, c. 84.

saepius vertunt ΔΙΠΛΟΙΔΑ, v. i. Reg. II, 21. XV, 27. XXIV, 5. 12. XXVIII, 14. Job, XXIX, 14. Sed & לַמַּעַל, vertunt IMATION Job, I, 20. Unde colliges לַמַּעַל, ἱματία, διπλοῖδα esse fere synonyma. Et cum לַמַּעַל aliquoties vertatur ποδιῶν, & σολή, videmus, ea voce longam, atque ad talos submissam vestem significari. Quidni & hinc depromamus rationem, ob quam illud Christi pallium plurali numero τῶν ἱματίων veniat, videlicet, quia illud erat quasi vestis duplicata, διπλοῖς, quae totum veluti corpus dupliciter ambiebat. Tale autem ἱματίον Christus erat κοσμίως περιβεβλημένος, quando ἀιμορροῶσαν cum sanitate redire in gratiam faciebat. Ita enim vocatur diserte Matth. IX, 20, 21. Marc. V, 27. Luc. V, 45. & numero plurali τὰ ἱματία Marc. V, 30. Illique tribuitur κρασπέδον, quod mulier tetigit i. e. fimbria & lacinia, sive extrema ora vestis, qualis etiam Romanorum togis, Graecorumque adscribi palliis solet.

§. 26. Neque praetereundum omnino est pedes nudum in adductis numismatibus conspici Hadrianum, ejusque aetatis Imperatores reliquos. Atque inde rursus elici non nihil potest, quod, ut cum Christo confunderetur, ansam praebuit. Quamquam enim non in ea haeream haeresi, Salvatorem nostrum nudis semper incessisse pedibus, cum contrarium indicet receptus inter Judaeos calceis utentes mos, a quo Christum haud temere discessisse novimus. Sunt tamen & argumenta, quae aliquando discalceatum Christum fuisse evincunt. Neque eo popularium suorum etiam saepius sine pedum indumentis procedentium consuetudinem deseruisse credendus est. Certè id Eusebii aevò ἀνωποδησίαν sibi sectandam esse rebantur. (i) Cum itaque & circa formam, & barbam, & habitum, & ipsam pedum tutelam Christi & Hadriani non magna intercesserit differentia, pronum est conjicere, qua ratione in eam sensim opinionem devenerint, signum illud, quod ad Hadrianum pertinebat, Domini nostri Jesu Christi fuisse memoriae dicatum.

§. 27. Hanc autem opinionem non parum iri confirmatum, unus quisque rerum intelligens arbitratitur facile, si (D) adferri aliquid

(i) Vide BALDUINUM de Calc, cap. 26. St. MORINUM in diff. IV. p. 153 sqq. BY-
NAEUM de calc, Ebr, L. I, c. 1. J. Christ, SAGITTARIUM diff. III. Osiu jenenis.

aliquid possit, quod probabilem in modum in illo elogio, quale
 basi statuarum incidere veteres consueverunt, lectum fuit ad Ha-
 drianum spectans, & quod deinceps Christo applicari percommo-
 de potuit. Quod ut pateat, in animum nobis revocemus fe-
 quentia. ΣΩΤΗΡΟΣ nomen & divinae literae & Christiani in pri-
 mis veteres dederunt Christo, unico & consummato generis hu-
 mani SOSPITATORI & RESTITUTORI. Sed & illud quon-
 dam impertitum est omnibus, a quibus in alios singulare aliquod,
 & eximium profectum est beneficium. *Nec enim, ut verbis utar*
Stephani MONACHI, Viri ἐξοχοτάτους, minima fuit diaboli erga Christum
odii hostilitas, quod nomina Christo peculiaria ad alios detorsit, ut hac ra-
tione gloria Christi obscuraretur & minueretur, cum illius titulis ipsi ho-
mines, imo & ipsa falsa Numina superbire viderentur. Hinc, uti οὐζευ
 saepe significat quodvis praestare beneficium genus, & à cujuscun-
 que generis liberare periculo, ita Evergetae qui vis, benefactores,
 Patroni sunt ΣΩΤΗΡΕΣ dicti. Ita, praesertim in nummis appellantur
 DII; Jupiter, Apollo, Hercules, Bacchus, Aesculapius, (k)
 Mercurius, Serapis, Neptunus, Dioscuri, & alii. Et Deae. Ce-
 res, Proserpina, Diana, Venus, Pallas, Fortuna, Themis, aliaeque.
 Regum Aegypti & Syriae vulgaris erat nomenclatio. MITHRI-
 DATEN quoque legatos singularum civitatum decretis de-
 clarasse ΘΕΟΥΣ ΚΑΙ ΣΩΤΗΡΑΣ Diodorus exponit in excerptis Va-
 lesianis pag. 401. Ad ipsas Reginas & Impm. uxores, Berenicen,
 Cleopatram, Faustina, Eusebiam Constantii id nomen transla-
 tum est. Medicis datum est frequenter. Quos autem Graeci
 Σωτηροὺς, eos Romani appellabant CONSERVATORES, RESTI-
 TUTORES, DEFENSORES SALUTIS, SALUTARES, SAL-
 VATORES, SERVATORES, SALUTIS DATORES. TUTA-
 TORES. Immo eis adscribebatur SALUS, GENERIS. HUMA-
 NI. Sed & haec passim virorum eruditorum operis annota-
 ta sunt, & de illis uberius forsan propediem differendi dabitur
 locus.

§. 28. Id nobis nunc in primis notandum est, Imperatores
 ipsos isthoc titulo superbivisse. Quid audacius fingi potest illo
 hominum monstro, illo sanguine macerato luto, NERONE, in cu-
 jus

(k) Vide *Bibl. nostrae* T. III. fasc. I. diff. V. §. 2. & diff. VI. §. 10.

jus nummo hae voces laurea cinctae exstant ΤΩ ΣΩΤΗΡΙ ΤΗΣ ΟΙΚΟΥΜΕΝΗΣ. (1) Hadriani decessori TRAIANO in nummis pariter idem esse datum nomen ab urbibus ei devotis ex binis nummis constat, quos VAILLANTIUS in Numm. Imp. Gr. p. 20. & in sel. numism. ex museo de Camps p. 68. ut & ill. EZ. Spanhemius de num. T. II, p. 500. exhibent. In uno, quem & habet Morellius in spec. rei numm. pag. 213. hinc legitur. ΑΥΤΟΚΡ. ΚΑΙΣ. ΤΡΑΙΑΝΟΣ. ΣΩΤΗΡ ΤΗΣ ΠΟΛΕΩΣ. illinc ΝΙΚΟΠΟΛΙΣ. ΙΣ. In altero à Pergamenis cuso ab una parte ΖΕΥΣ ΦΙΛΙΟΣ ΑΥΤΟΚΡ. ΚΑΙΣΑΡ. ΤΡΑΙΑΝΟΣ ΠΕΡΓΑΜΕΝΩΝ; ab altera ΘΕΩ ΣΩΤΗΡΙ ΚΑΙ ΤΩ ΘΕΩ ΣΕΒΑΣΤΩ. In inscriptione quae in Grutero exstat pag. CCLV. n. 5. Titus Aelius Hadrianus Antoninus Hadriani successor, vocatur Ευεργετης καὶ ΣΩΤΗΡ. Ita inter encomia data THEODOSIO Magno & haec fuisse, ὁ Σωτήρ, ὁ πολίτευς, ὁ Ξένιος, ὁ Ἰκεσιος, Themistius testatur Orat. XV. Denique Cosroes Persarum Regem Mauritio Imp. inter alia epitheta dedisse τὸ Σωτήρος ex exc. legat. ed. Reg. p. 188. observat Spanhemius l. c.

§. 29. Sed an id quoque nominis HADRIANO datum ostendi potest? Potest sane. Id docent & nummi & inscriptiones, eaeque geminae, quas nobis Jacobus SPONIUS reliquit itinerarii sui T. II, p. 352. Una est Abydenorum, quae Byzantii est; ΑΥΤΟΚΡΑΤΟΡΑ. ΤΡΑΙΑΝΟΝ. ΑΔΡΙΑΝΟΝ. ΟΛΥΜΠΙΟΝ. ΚΑΙΣΑΡΑ. ΣΕΒΑΣΤΟΝ. ΑΒΥΔΗΝΟΙ. ΤΟΝ. ΑΥΤΩΝ. ΣΩΤΗΡΑ. ΚΑΙ ΚΤΙΣΤΗΝ. ΔΙΑ. ΠΡΕΣΒΕΥΤΟΥ. ΜΑΡΚΕΛΛΟΥ. ΜΑΙΟΡΟΣ; id est. Imperatorem Trajanum Hadrianum Olympium, Caesarem Augustum Abydeni (honorarunt) suum SERVATOREM & Conditorem per ministerium Marcelli majoris. Altera est Smyrnaeorum, quae ibidem pag. 353. & apud Whelerum p. 232. legitur. ΑΥΤΟΚΡΑΤΟΡΙ. ΑΔΡΙΑΝΩΙ. ΟΛΥΜΠΙΩΙ. ΣΩΤΗΡΙ. ΚΑΙ. ΚΤΙΣΤΗΙ. Imperatori. Hadriano. Olympio. Servatori, & Conditori. Idem confirmat Atheniensium nummus, si genuinus est, cujus epigraphe eum vocat ΟΛΥΜΠΙΟΝ. ΤΟΝ ΣΩΤΗΡΑ ΤΟΝ ΕΥΕΡΓΕΤΗΝ, quem citat Jos. SCALIGER ad Eusebium p. 215. Dubitandi tamen causae sunt, an ille unquam existerit. Lemma tale in nummis plane inusitatum est. Nemo est, qui eum

(1) Apud SPANHEMIUM in Jul. Caes. pag. 276. de Praef. Numism. T. II, p. 500. HARD, in app. sel. p. 723. VAILL. Num. Imp. Græc. p. 18.

se oculis suis vidisse testetur, nemo, qui utriusque faciei typum exhibuit. Ipse ill. Spanhemius, cui nihil horum impervestigatum fuit, ita allegat T. I. p. 418. ut aperte pateat, ei non esse visum, sed fidem sequi aliorum. Sebastianus FAESCHIUS in diss. de *N. Pylae- menis Evergetae*, quae Antiquitt. Graecarum, à Gronovio curatarum volumen *nomum* claudit, citat *ceum nummum eximum*, & *singularis raritatis*; addit tamen, *se eum referre ex aliorum fide, cum de ejus antiquitate cuipiam scrupulus ob nimiam inscriptionis ab utraque parte insolentiam suboriri possit.* Recte quidem, si quid judico. An ergo, inquires, imponere voluit aliis SCALIGER? Nollem id de isthoc Heröe vel cogitasse. Crediderim potius illum sefellisse memoriam, ita ut inscriptionem, quam apud Hubertum Goltzium legerat, in nummo se legisse crederet. Haec illa est, quam hic legendam exhibuit in *Thef. rei antiquariae* p. m. 45. ΑΥΤΟΚΡΑΤΟΡΑ. ΚΑΙΣΑΡΑ. ΤΡΑΙΑΝΟΝ. ΑΔΡΙΑΝΟΝ. ΣΕΒΑΣΤΟΝ. ΟΛΥΜΠΙΟΝ. ΤΟΝ. ΣΩΤΗΡΑ. ΤΩΝ. ΙΑΙΩΝ. ΕΤΕΡΓΕΤΗΝ. Passim & occurrit numisma, cujus haec est inscriptio ΤΩ. ΗΡΑΚΛΕΙ. ΣΩΤΗΡΙ. ΑΤΓ. *Herculi Servatori Augusto.* Producent illum If. CASAUB. ad *Spart. c.* 13. OCCO p. 163. Ez. Spanh. (m) T. II. p. 402. Et sic idem ei usu venit, quod Aemiliano Augusto, quem CONSERVATORIS. HERCULIS titulo exornat *Vetus inscriptio.* Extant & ejus nummi, in quibus legitur SALUS PUBLICA apud *Occonem* p. 152. CONSERVATOR Galliae apud eundem p. 156.

§. 30. Neque id a nobis negligendum prorsus est, inter titulos, quos Imperatoribus civitates vel metu vel adulatione incitatae, dabant, fuisse quoque ΤΟΥ ΘΕΟΥ. Vide Ez. SPANHEMIUM nunquam satis laudati operis T. I. p. 419. sqq. Idque accidisse etiam Hadriano vetusta monumenta evincunt. Hub. GOLTZIUS in *Thef. R. antiq.* pag. 45. adducit has nummorum *επιγραφας.* ΘΕΟΣ ΑΔΡΙΑΝΟΣ, ut & ΤΟΝ ΘΕΟΝ ΑΔΡΙΑΝΟΝ. In primis JOVIS & quidem OLYMPII cognomen sibi adscivit. Id docent inscriptiones Sponianae jam adductae, uti & nummus Atheniensium

D 2

sium

(m) Christoph. Ad *Rupertus* in notis ad *Besoldum* c. 14. pag. 308. citat quoque nummum, in quo dicitur *Hercules servator*, sed id puto ex his Casauboni male intellectis verbis collectum esse,

sum, cui adde illum, quem ex thesauro Maurocenico producit Claud. NICASIUS in diff. de nummo Pantheo Hadriani cap. III. & quem idem habet, si modo genuinus est, in quo caput Hadriani laureatum cum epigr. ΑΥΤ. ΚΑΙ, ΤΡΑ. ΑΔΡΙΑΝΟΣ. ΟΛΥΜΠΙΟΣ. In cuius adversa parte legitur. ΖΕΥΣ. ΦΙΛΑΔΗΘΗΣ, ΛΑΟΔ. Explicant illos verba Spartiani cap. 14. *Athenis Jovis Olympii aedem & aram sibi, eodemque modo per Asiam iter faciens templa sui nominis consecravit.* Ex quibus liquido constat, & titulos & honores divinos ei vivo datos. Id quod edocet Herculis cognomen, quod ei concessum esse pariter visum est. Quibus adde nummum, quem ex penu Thuanea produxit ε πανν Casaubonus, cui inscriptum est. ΑΥΤ. Κ. ΑΔΡΙΑΝΟΣ. ΣΕΒΑΣΤΟΣ. ΗΡΑΚΛΗΣ ΡΩΜΑΙΟΣ. Saltim deinceps, postquam ejus *Animula vagula, blandula, Hospes comesque corporis Abvoit in locum suum,* ΘΕΟΥ insignitus est nomine in veteribus lapidibus. Talis exstat apud GRÜTERUM p. 316, 1. & O&. FALCONERIUM in inscript. athl. p. 3. ΑΥΤΟΚΡΑΤΩΡ, ΚΑΙΣΑΡ. ΘΕΟΥ. ΑΔΡΙΑΝΟΥ ΥΙΟΣ. κ. τ. λ. Ut & alius apud G. WHEELERUM in itiner. L. III. p. 265. quem Sardienses posuerunt Antonino Pio. ΑΥΤΟΚΡΑΤΟΡΑ. ΚΑΙΣΑΡΑ. ΘΕΟΥ. ΑΔΡΙΑΝΟΥ ΥΙΟΝ, ΘΕΟΥ. ΤΡΑΙΑΝΟΥ ΥΙΩΝΟΝ. &c. κ. τ. λ. Quin & vivus ut Θεος declaratus est, si fides habenda G. Syncello in Chronogr. p. 349. ed. regiae, qui de eo ita. *Ρωμαίους Φορως ποδως έχουσισάτο, όθεν ή συγκλητος ΘΕΟΝ αυτόν έψηφισάτο.* *Romanis multa tributa remisit, propterea senatus eum DEUM declaravit.*

§. 31. Non parum autem in hac conjectura, tum illi fuisse lapidi nomen, Σωτηρ, inscriptum, confirmor, quod videam scriptores veteres, ejus rei, qui meminerant, Σωτηρ mentionem injicere frequentissime. In solis verbis Eusebii, quae adduxi Cap. I. §. 3. id quater fit. Cedrenus vocat τον τε ΣΩΤΗΡΟΣ άνδελαντα. Philostorgius εικονα τε ΣΩΤΗΡΟΣ. Malalas ελην τε ΣΩΤΗΡΟΣ Χελισ, & sic porro. Attendenda autem apprime Eusebii verba sunt, quibus narrationem suam claudit: *Ως ειπεν των πελαγων, άνπεριλακτως, δια ΣΩΤΗΡΑΣ εθνηκη συνθηεια παρ αυτους τετων ημων ειδωτων των τροπων:* Ex quibus verbis colligo Eusebium probe vidisse illud simulacrum primo ad exemplum & ex consuetudine gentilium, porro eum in modum, quo Σωτηρ suos illi vulgo honorare consueverant, fictum fabricatumque fuisse. Atque ita, ni fallor ani-

mi, ad ipsas has voces ΣΩΤΗΡΟΣ & ΘΕΟΥ, quas in lapide illo veluti per tenebras emicantes adhuc observaverat, respexisse videtur.

§. 32. Ex his observationibus nunc facillimo modo colligi potest ratio, qua fieri potuit, ut honos statuae Hadriano fixae derivaretur in Christum. Nam ἡ βεβλη καὶ ὁ Δημῶ των Παινεαδίων cultus sui devotique & grati animi signum Hadriano Caesari, Patro suo & ampliatori erecturi *illi ingentem statuam posuere, Dominumque collocarunt aeterna in basi*, ut elegantissimi Phoedri verbis utar. In illa autem constituenda tali typo usi fuere, quali delectari Caesarem in primis ex aliarum statuarum, nummorumque imaginibus observaverant, quique ad ostendendam cum suam indigentiam, tum Caesaris benignitatem unus omnium maxime videbatur idoneus. Pro more autem recepto ἐν τῇ ὑπερσσει inscriptionem addiderunt, atque in eâ eum variis in usitatis elogiis ornarunt, v. gr. dicentes *locupletatorem, restitutorem, ampliorem civium, optimum maximum, conservatorem, Servatorem, Sospitatorem, Salutem generis humani, τον Ολυμπιον, τον κτην, τον Ευεργετην, τον Σεβαστον*, quorum epithetorum nullum est, quod non adplicari possit D. N. J. C. percommode. Praecipue autem potuerunt eum splendidissimis insignire nominibus τῶ ΣΩΤΗΡΟΣ, τῶ ΘΕΟΥ ΣΩΤΗΡΟΣ, τῶ ΣΩΤΗΡΟΣ καὶ ΕΥΕΡΓΕΤΟΥ, τῶ ΣΩΤΗΡΟΣ τῶ κοσμου, τῶ ΣΩΤΗΡΟΣ της οικουμένης, τῶ ΣΩΤΗΡΟΣ καὶ τῶ ΘΕΟΥ ΣΕΒΑΣΤΟΥ, quae omnia Imperatoribus suis data esse vidimus. Hi tituli potuerunt violentiam temporis, quae reliquas literas literatas vel eraserat, vel limo obduxerat, evadere. Illos Paneados incolae, in quorum animis recordatio Hadriani jam pridem extincta erat, legerunt, & cum eos uni & vero & sacrosancto SOSPITATORI nostro & Salvatore convenire recte scient, ad eum quoque pertinere omnino iudicaverunt. Cumque recordarentur in evangeliiis historiam enarrari feminae, quae Christo supplex facta est, postquam pessimam ejus valetudinem tactu fimbriae vestis suae propulsaverat, salutemque acceperat, illam ipsam videbantur in illo ἀγαλματι expressam suis se contueri oculis. Illa autem persuasio eò facilius se illorum insinuare animis, & radices figere potuit, quò magis eâ se mulcebant opinione, non omnino nihil inde ad amplificandam Domini nostri

gloriam posse conferri, saltim prodigiosam ejus vim, & miracula patrandi facultatem, qua polluit, inde demonstrari posse. Ea autem fabula, ut semel in vulgus abiit, ut indies majora cepit incrementa, quod proclives sumus ea adripere, quae è re nostra esse credimus. *Intererat enim, ut illa vera viderentur, &*

facile, quae credita profunt,

Credimus

§. 33. Quae omnia, ut se satis magnâ probabilitate commendant, ita & porro id (II) agendum est, ne his aliquid jure merito opponi possit. Nimirum, incredibile id cuiquam videatur, pilam Caesari publico nomine dicatam post aliquot saecula ita factam esse populo incognitam ejusque memoriam oblitteratam, ut ad illum transferretur; ad quem nullo modo pertinebat. Verum enim vero non deest nobis exemplorum similium copia, quae palam faciunt, monumenta ejusmodi plane aliis, quam quibus posita fuerunt, & illis quidem esse attributa, de quibus illorum exstructores ne somniando quidem cogitaverant. Sic pervulgatum est Justinum Martyrem, quem deinde Irenaeus, Tertullianus, Augustinus, alii secuti sunt, tradidisse Simoni Mago Romae regnante Claudio à S. P. Q. R. statuam esse erectam. Posteriora tamen tempora docuerunt miseris modis deceptum fuisse sanctissimum Patrem. Cum enim anno 1574. in insula Tiberina effoderetur marmorea statuæ basis, in qua legebatur SEMONI SANCO, DEO, FLUDIO, SACRUM. inde patuit olim caligantibus oculis illa verba lecta, & ex SEMONE SANCO *Simonem Sanctum* fuisse efformatum. Simile exemplum dedi in Diss. de JODUTHA, (n) quam natales suos debere statuæ cuidam in memoriam praelii contra Henricum V. Imperatorem a. m. in comitatu Mansfeldico excitatae, & qua ratione ex illa Sancta Jodutha efficta sit, docuit Leonardus ARETINUS tale *παροργισμο* ante trecentos annos Constantiae à se detectum narrat Epist. Lib. IV. epist. 2. Ibi enim scribit detectam fuisse tabulam marmoream vetustas literas continentem, ex quibus apparuerit à Constantio, Constantini M. Patre, qui à Diocletiano & Maximiano Caesar dictus est, urbem illam nomen traxisse, cum prius Vitudura nuncuparetur. *Hanc tabulam,*

(n) Bibl. Brem, T, VII, fasc, V, diss. 7, & confer. T, VII, fasc, III, diss. 5.



ita pergit, nemo Constantiensium legere scit, tenetque vulgus opinio esse sanctuarium quoddam praecipuae religionis. Itaque mulierculae & caetera imperita turba fricandis per eam manibus jam literas pene totas ex tabula deleverunt, cum tamen ibi scripta sint, non sanctorum Christi, sed persecutorum Christi nomina. Parilem in modum, Parisienses usque ad introductam in hos tractus Christianam religionem praecipuo quodam cultu venerati fuerant Isidem. Ejus templum deinde in aedem S. Germani de Pratis conversum fuit, ita tamen ut illius statua, tanquam trophaeum devictae idololatriae conservaretur. Accidit autem, ut mulier quaedam Sancti alicujus effigiem eo denotari signo rata coram illo se prosterneret, eique candelas offerret. Ea re motus Cardinalis Bricconnetus, qui illi tunc abbatiae praeerat, destruendum curavit, id quod factum A. 1514. Narrat hoc factum, ex Du BREUIL *Antiquitt. Parisiensibus* Jacobus SPONIUS dans les recherches de l'Antiquite pag. 303.

§. 34. Neque nostrae, quam vivimus, aetatis ejusmodi exempla deficiunt. Vidi olim ipse Clivopoli in palatio Principis statuam lapideam viri barbati, vittam gerentis capite, dexteram applicantis baltheo bullato, eaque gerentis vaginam, cujus superior pars fracta est, sinistra vas gestans nescio qua re plenum. Illa per longos temporum tractus habita fuit imago EUMENII Rhetoris, qui temporibus Julii Caesaris magno allectus stipendio literas docuit Augustoduni in Galliis. Clivenses de eo adeo non dubitant, ut ejus imaginem publicam magistratum auctoritate portae, quae in media urbe est, appinxerint, non parum inde decoris urbi suae accessurum credentes, addito simul magnifico titulo, in honorem EUMENII posito. Sed in eo deceptos esse amoenissimi oppidi cives jam diu contra A. PIGHIUM, docuit Lipsius in suis ad Taciti Ann. Lib. III. animadversionibus. Prostravit autem prorsus de sede sua Rhetorem Jo. BRAUNIUS, (o) Theologus Groninganus, nil tremendam, quam manu gestare credebatur, ferulam veritus, & quemvis potius alium, illa icone deno-

(o) In cultissimo opere de *Sacerdotum Ebraeorum vestimentis* C. III. §. 362. sqq. editionis posterioris Amstel. 1701, ubi duplicem monimenti illius effigiem contemplari licet.

denotari ostendit. (p) In templo, quod Halae-Magdeburgicae à S. Mauritio nomen habet, signum lapideum cernitur ingentis molis, Viri, & lanceâ & gladio armati, (q) Persuasum fuit diu omni populo, esse imaginem Mauritii, cujusdam Archiepiscopi, qui aedem illam excitavit. Sed cum ejus nominis nullus unquam inter Archi-Praefules Magdeburgenses fuit, illud autem templum una cum tota Dioecesi patronum sibi habuerit S. Mauritium Martyrem, qui sub Imp. Maximiano legioni Thebaeae praefuisse dicitur, rectissime hunc eo monumento exhibitum esse demonstravit doctissimus auctor observationis, quae inter Hallenses Germanice editas tomi *primi* ultimum locum obtinet.

§. 35. Addam adhuc par exemplorum, quod Roma Patrum nostrisque diebus suppeditavit. Ibi Cathedram Petri tenente Urbano VIII, inventum fuit monumentum, in quo hae literae S. VIAR. integre conspiciantur. Hispani, quae gentis illius incredibilis superstitio est, interpellare Papam, ut indulgentias ob cultum illius SANCTI, cui nomen esset, VIARI largiretur. Negavit ille se id facturum, donec, quis & qualis ille S. *Viarus* esset, certius cognovisset. Deprehensum deinceps fuit lapidem illum fragmentum esse vetustae inscriptionis, qua nescio quis *Praefectus* S. VIARum esset commemoratus. Testem rei omni exceptione majorem habemus Jo. MABILLONIUM, familiae Benedictinae sodalem doctissimum, (r) Nec minus memoratu dignum est, quod in secun-

(p) Suspiciatur ille esse statuam Principis alicujus & militis, putans gladii vaginam esse, non ferulam & manu gestari vas, non nummis refertum, sed pisciculis, quos putat signum esse Christiani militis. Sed, neque vitta, neque tunica talaris, neque calcei, neque baltheus talis, neque illud, quod in vase continetur, militi convenire mihi videntur. Quin, cum ante hos XXII. annos illam cupidus lustrarem oculis, visus sum mihi deprehendere Sacerdotem aliquem, cui & vitta & baltheus & calcei aptari possent. In vagina non gladium, sed fecespitam contineri. Vas autem illud neque nummos capere, neque pisciculos, ut putant, sed thuribulum esse prunis plenum ardentibus, quod primis digitis ille arripit, suspicabar.

(q) Vocant illum Hallenses vulgo *den Schellen-Moritz* / à tintinnabulis, quibus fat grandibus cingulum ejus ornatum est, secundum morem tribus abhinc seculis follenem, quo inter praecipua ornamenta vestium ejusmodi nolae erant. Inde origo petenda est phraeos in vulgari hymno, cujus auctor Petrus Dresdensis, *In dulci jubilo*, &c. quando legebatur: *Wo die Schellen klingen regis in curia.*

(r) In *itinerario Italico* T. I. p. 145.

secunda epistola, quae adjuncta est itinerario BURNETIANO, p. 138. legitur, inventum esse lapidem, cui vestigium pedis humani inculptum cernebatur. Hunc impressum à Michaelē angelo, qui (s) temporibus Gregorii M. a. 530. grassantem luem ab urbe depulerat, & in cujus honorem arx illa, quae ab Hadriani sepulchro alias nomen ferebat, deinceps Castellum S. Angeli dictum est, monachi, ex Franciscanorum ordine, persuadebant hominibus. Cumque ad rem faciendam valde aptam esse hanc fabulam deprehenderent, in templum, quod in *Ara coeli* est ipsum saxum, deportari jusserunt. Illi cum multitudo incredibili & copia & religione advolveretur, Petrus BELLORIUS, summus urbis antiquarius, in sacellum hoc adoratum venit, lapidem considerat curatius, ex literis Graecis aliisque notis deprehendit illico fragmentum esse statue Isidis, rem monachis aperit, ut scandalum tollant, hortatur; Sed illi veriti, ne quid detrimenti res suae paterentur, hominem impietatis accusatum ad inquisitionis tribunal deferunt, ubi tamen tam fortiter causam suam agit, ut & ipsi ejus concilii Patres, rectè eum judicasse convicti lapidem sede sua remotum palatio suo inferri juberent. Et, quid multa? Saepe numero id accidisse in Latinorum ecclesia, ut lapides sepulchrales, quibus hominum ethnicorum sepulchra tecta fuerunt, in cataeumbis inventi, Christianorum, eorumque Sanctorum, Martyrumque nomina sint prae se tulisse, existimati, illique deinde divinis sint culti honoribus id, vel sola confirmat EUSEBII ROMANI, i.e. Jo. MABILLONII, eruditissimi consortionis Benedictinae sodalis ad Theophilum Gallum de *cultu sanctorum ignotorum* epistola plus vice simplici excusa. Et plura alia ejus commatis addi possent, sed haec satis superque evincunt, persaepe monumenta vetustate detrita, quando sensim illorum postotinis memoria ex animis hominum excedit, ad plane alios, quam, quibus primùm dicata erant, traducta, imo turpissima idola, hominesque ethnicae impietatis in Christianos, & sanctitatis fulgore coruscantes Viros transformata esse.

S. 36. Atque idem est, quod usu venit Pancadensium Sigillo, in perpetuam quidem Hadriani Aug. memoriam primùm ex-

(s) Mirum ni & tunc quoque penna ex ala S. Michaelis deciderit, digna, quam, ut alibi factum, divinis quoque honoribus macerent.

citato, quod postea tamen D. N. J. C. honoribus consecratum fuisse existimarunt. Illud autem nobis eo minus videbitur mirum, quod magis sequentia adtenderimus. Nimirum extincto Principe, auctoritas ejus & veneratio non parum imminui solet. Orientem lucentemque solem adorant homines, occasum negligunt. Ipsa Romana historia satis exemplorum habet, quae docent statuas post fata Principum neglectas & dejectas, aliis in honorem tunc imperantium suscitatis. Immo Civitates, ut adularentur Augustis, ab eorum nominibus nomina sua quidem mutuabantur, sed Dominis suis mutatis nomina eadem commutabant. Ipsa haec Paneas nostra hujus rei instar nobis praebet. Illam ab Augusto dictam esse Caesaream, deinde à Claudio *Claudiam Caesaream*, & & praeterea à Nerone *Nerodiada* supra cap. I. §. 9. & 10. vidimus. Ita fieri potuit, ut quanta etiam cunq; hujus urbis civium reverentia erga Hadrianum eo vivo esset, eadem illa deinceps tamen paulatim decreveret; Quo effectum est, ut & parum curarent honoribus ejus sacrum *μνημειον*, immo ipsam ejus memoriam ex animo paene disfluere sinerent. Praesertim posteaquam gentium superstitionem cum Christianorum permutare sacris occoepissent, venerabilius sane illis & illustrius nomen Christi erat, quam Hadriani, & cum proni sumus, ut ea credamus vera esse, quae vera ut sint, optamus, facile induci potuerunt, ut marmoreum illud urbis suae ornamentum Christi potius sui, quam Imperatoris ethnici gloriae dedicatum esse, sibi persuaderent, quae opinio, ubi semel in illorum animis radices egit, evelli deinde, cum causae suae favere aliquantum videretur, tam facile non potuit.

§. 37. At pergis regerere, in more olim positum fuisse, ut ejusemodi statuas lemmata adscriberentur, & elogias, ex quibus, ad quos illae pertinerent, cognosceretur liquido. Hinc inferre vis haud dubie tale epigramma incisum quoque fuisse in hoc simulacro, unde ignorari minime potuerit, quem illud designaverit. Utraque manu haec tibi concesserim, & *σπλας* tales olim fuisse literatas, & ipsum hunc *ανδριανου* nomen illius, quem ostentabat urbi, marmori insculptum exhibuisse. Verum enim vero & id pariter observandum est, longo temporis tractu literas ita deteri & exedi potuisse, ut vix legentium oculis paterent, Neque
ipse

ipsi lapides injurias evitare temporis, rerum edacis possunt.
Mors etiam SAXIS, nominibusque venit, vel S faxis longa senecta nocet.
 Non de alio monumento, quam quod ingenii & artis est, illud
 dixeris Venusini; esse aere perennius, *Quod nec imber edax, nec Aquilo*
impotens Possit diruere, aut innumerabilis Annorum series, nec fuga tempo-
rum.

Vel, illud Sulmonensis,

— quod nec Jovis ira, nec ignes,

Nec poterit ferrum, nec edax abolere vetustas.

Neque talem sortem evitavit illius ἀγαλματος inscriptio. Idque
 diserte nos docent PHILOSTORGIUS H. Eccl. L. VII, §. 3. &
 ex eo NICEPHORUS L. X. c. 30. sc. temporis diuturnitate obivoinē
 intercidisse, & quem ea statua referret, & ob quod factum collocata esset. Il-
 lud enim ἀγαλμα constituisse nudum, idque sub dio, hinc ipsum ejus corpus
 non parum fuisse immutatum, & imbres ex locis superioribus limum secum
 trahentes illum illi adgesse, unde factum, ut omnis de illa cognitio, quae ex
 literis plena hauriri potuisset, perierit. Deinde tamen cum dubitatio orta
 fuisset, quid illa sibi statua velit, egesto, quod adhaererat, luto, literas re-
 pertas esse, quae integram rem edocerent. En hic rationem manife-
 stam, qua factum est, ut memoria viri, quem indicabat statuae
 basis, oblitteraretur. Stabat ὑπαιθερος, καὶ γυμνη. Nullus erat,
 ejus qui curam haberet. Exposita erat aëris injuriis, Tota certe
 oblimata fuit. Hinc legi amplius titulus non potuit. Saltim,
 non temporibus Eusebii. Neque id mirum, cum satis longum
 temporis intervallum, annorum nempe ducentorum inde ab
 ejus collocatione ad Eusebium effluerit. Scribunt quidem de-
 inde purgatam à luto, & literas repertas, quae Christi eam esse,
 ostenderent. Id si factum est, fieri potuit ex vulgari more (t)
 quo saepe pilis, cum titulorum literae vetustate erasae atque
 exesae essent, aliud epigramma insculperent. Ita, ut cum semel
 persuasio eos occupaverat, eam Christi positam fuisse memoriae,
 reliquiis veteris inscriptionis deletis, novam illi insculpendam
 curaverint. Sed id tamen non esse factum censeo. Cur enim ne-
 mo eam exscripsit, vel exhibuit, cur non perituras in aëre literas,
 ab

E 2

ab

(t) Id olim saepius factum ex Dionis. Chrylost. Orat. 31. observat A. van DALEN in
 app. ad L. de oraculis p. 650.

at valde tamen commemorabiles, victuris semper chartis commendaverint *ἀνορθαί* Christiani, cum; ita res omnis confici uno halitu & ipsi gloriae DOMINI nostri non omnino male consuli potuisset. Sed potuerant eam mundare, fortassis & verba quaedam reliquis longo annorum tractu disparentibus, in iis agnoscere, & talia quidem, quae ad utrumque & Hadrianum & Christum haud incommodè referrentur, qualia supra §. 27. lqq. exhibuimus, unde urbis incolae Hadriani jam obliti, & inter Christianos non minus professi, facilius de Christo, quam Hadriano cogitaverunt.

§. 38 Sed nunc ea, quae haecenus disputata sunt, ut uno oculi ictu Lectori pateant, summam exhibeamus. Tale monumentum, quale Eusebius Paneade fuisse scribit, in illa urbe reapse existit. Non tamen illud J. C. D. N. mulieremque ab eo a sanguinis profluvio ad sanitatem redactam, ut vetus fabula ferebat, repraesentavit. Cum tamen ejusmodi imagines simillimae Imperatoribus, & imprimis HADRIANO ab urbibus *ἐνεργυσίας καὶ ἐνορίας* gratia figi solerent, earumque typos etiam nunc veteres nummi non parvo numero sistant, cum Hadrianus Paneade locisque in vicinis plus vice simplici versatus sit, cum proferri possit non una ratio, quae ad Hadrianum spectabant, sint translata ad Christum, cum & forma & habitus & barba, & incessus utriusque conveniant accurate, cum & in ipso titulo *τῷ ΣΩΤΗΡΟΣ* & *ΘΕΟΥ* nomina, quae propria sunt nostro *ΣΩΤΗΡΙ καὶ ΘΕΩΙ*, Hadriano dari potuerunt, cum nihil sit, quod hanc sententiam nostram vel labefactet, nedum evertat. Cum quam plurima exempla suppetant, quae simili modo statuas ad alios, ad quas non pertinebant, per errorem translatas esse docent, cum denique nihil huc usque aliud, quod, quidnam rei illud *μνημεῖον* fuerit, indicet, allatum sit, quidni his omnibus simul veluti in cumulum congestis, subductisque tum rationibus, hanc faciamus cogitationum nostrarum summam; MONUMENTUM illud, quod apud *PANEADENSES* olim contuitus est *EUSEBIUS*, non honoribus *JESU CHRISTI*, *τῷ ΣΩΤΗΡΟΣ ΤΗΣ ΟΙΚΟΤΜΕΝΗΣ*, sed *AELII HADRIANI TRAJANI* Caesaris Romani, dicatum, dedicatum, consecratumque fuisse. J. Q. E. O.

§. 39. Coronidis loco, ingenii, si quod nobis est, exercendi

cendi gratia periclitetur vires, tentemusque, num inscriptionem, qualis olim basi illius signi insculpta fuit, restituere, &, quid ex consuetudine illorum temporum, formulisque tum usitatis in illa lectum fuerit, conjicere possimus. Latine ita potuisset exarari,

IMP. CAESARI. DIVI. TRAIANI.
 PARTHICI. F. DIVI. NERVAE. NEPOTI.
 TRAIANO. HADRIANO. AUG. PONTIFICI.
 MAXIMO. TRIB. POT. VI. (u) CoS. III. (x) P. P.
 LOCUPLETATORI. ORBIS. TERRARUM.
 SERVATORI. CIVIUM.

S. P. Q. P.

QUOD. EJUS. LIBERALITATE. RESTITUTI. SUNT.
 OPTIMO. MAXIMOQUE. PRINCIPI.

F. F. vel D. D.

Aut fortassis alio modo:

I. O. M. S.

PRO. SALUTE. ET. INCOLUMITATE. IMP. CAES.
 TRAJANI. HADRIANI. GERM. DAC. PONT. MAX. COS. III.
 P. P. RESTITUTORIS. ORBIS. TERRARUM. URBIS.
 CONSERVATORIS. INDULGENTISSIMI. PRINCIPIS. OB.
 BENE. MERITA. ET. AMOREM. NUMINI. EJUS. MAJE-
 STATIQUE. DEVOTISSIMI. PANEADENSES.

P. F. V. S. L. M.

§. 40. Veli Graece mavis, uti vix dubium est, illo sermone scriptum esse a civibus Graecis in memoriam Imperatoris linguae Graecae; amantis, eamque ita callentis, ut & inde Graeculi nomen nactus sit, ad exemplum lapidis Abydenorum, quem supra §. 29. adduximus, ita fortassis scriptum fuit.

E 3

ATTO.

(u) Si nempe velis statuum collocatam a. 123. alias numerus XIII. ponendus esset.

(x) Neque enim Hadrianus ultra Consulatum tertium suscepit. Ut corrigendus sit Baudelotius de *Dairval*, qui in L. del *utilite des Voyages* T. II, p. 633, nummum adducit, in quo legatur, Cos. VI.

ΑΥΤΟΚΡΑΤΟΡΑ,
 ΤΡΑΙΑΝΟΝ. ΑΔΡΙΑΝΟΝ.
 ΟΛΥΜΠΙΟΝ,
 ΚΑΙΣΑΡΑ. ΣΕΒΑΣΤΟΝ,
 ΠΑΝΕΛΛΗΝΟΙ.
 ΤΟΝ. ΑΥΤΟΝ. ΣΩΤΗΡΑ,
 ΚΑΙ ΚΤΙΣΤΗΝ,
 ΔΙΑ. ΠΡΕΣΒΕΥΤΟΥ. κ. τ. λ.

Vel, ut Smyrnenses habent,

ΑΥΤΟΚΡΑΤΟΡΙ,
 ΑΔΡΙΑΝΩΙ.

ΟΛΥΜΠΙΩΙ, ΣΩΤΗΡΙ,
 ΚΑΙ ΚΤΙΣΤΗΙ.

Vel, si prolixius desideras,

ΑΥΤΟΚΡΑΤΟΡΙ, ΚΑΙΣΑΡΙ. ΘΕΟΥ. ΤΡΑΙΑΝΟΥ.
 ΠΑΡΘΙΚΟΥ. ΤΩΙ. ΘΕΟΥ. ΝΕΡΟΥΑ. ΥΙΩΝΩΙ.
 ΤΡΑΙΑΝΩΙ. ΑΔΡΙΑΝΩΙ. ΣΕΒΑΣΤΩΙ. ΑΡΧΙΕΡΕΙ.
 ΜΕΓΙΣΤΩΙ. ΔΗΜΑΡΧΙΚΗΣ. ΕΞΟΥΣΙΑΣ.
 ΤΟ. Ζ. ΥΠΑΤΩΙ, ΤΟ. Γ. ΠΑΤΡΙ. ΠΑΤΡΙΑΟΣ.
 ΟΛΥΜΠΙΩΙ. ΤΩ, ΣΩΤΗΡΙ. ΚΑΙ. ΕΥΕΡΓΕΤΗΙ. (y)
 ΕΥΝΟΙΑΣ. ΕΝΕΚΕΝ. ΚΑΙ. ΕΥΕΡΓΕΣΙΑΣ.
 ΤΗΣ. ΕΙΣ. ΤΗΝ. ΠΑΤΡΙΔΑ.

Η. ΒΟΥΛΗ. ΚΑΙ. Ο. ΔΗΜΟΣ. ΠΑΝΕΛΛΕΩΝ.
 ΑΝΕΘΗΚΑΝ.

Sed, quid si cum in modum scriberem?

ΑΓΑΘΗΙ. ΤΥΧΗΙ.

ΑΙΑ. ΑΥΤΟΚΡΑΤΟΡΙ. ΤΡΑΙΑΝΩΙ. ΑΔΡΙΑΝΩΙ.
 ΤΩΙ. ΗΡΑΚΛΕΙ. ΣΩΤΗΡΙ. ΑΥΓ. ΤΩΙ. ΘΕΩΙ.
 ΚΑΙ. ΚΤΙΣΤΗΙ. ΠΑΝΑΓΑΘΩΙ. ΚΑΙ. ΕΥΕΡΓΕΤΗΙ.

ΤΗΣ.

(y) De hoc titulo *Ευεργετῆς*, qui saepe *τῶ ἐν Σμύρνης* adjungitur, vide S. FAESCHII
 diff. de *Nummo Ptolemaenis Euergetae* T. IX, Ant. Gr. Gronovii p. 1610. & Cl.
 VIII P. ZORNI *Bibl. Ant.* in praefatione,

ΤΗΣ. ΠΟΔΕΩΣ. ΚΑΙ. ΕΚ. ΕΥΕΡΓΕΤΩΝ. ΓΕΓΟΝΟΤΙ.
 Η. ΓΕΡΟΤΙΑ. ΚΑΙ. Ο. ΔΗΜΟΣ. ΠΑΝΕΑΔΗΝΩΝ.
 ΜΝΗΜΗΣ. ΚΑΙ. ΕΥΣΕΒΕΙΑΣ. ΧΑΡΙΝ.
 ΔΙΑ. ΤΗΣ. ΘΕΙΑΣ. ΑΥΤΟΥ. ΔΙΚΑΙΟΔΟΣΙΑΣ. ΚΑΙ. ΕΥΕΡΓΕΤΙΑΣ.
 ΕΚ. ΤΩΝ. ΙΑΙΩΝ. ΑΝΕΤΗΚΕΝ.

§. 41. Enimvero fingamus denique ipsam illam à Christo
 pristinae valetudini restitutam mulierem, **ILLI** ΕΥΕΡΓΕΤΙΑΣ ΚΑΙ
 ΕΥΔΟΚΙΑΣ ΧΑΡΙΝ (2) monumentum tale, tamquam ΣΩΣΤΡΟΝ ΚΑΙ
 ΧΑΡΙΣΤΗΡΟΝ^(a) ΥΠΕΡ ΤΗΣ ΕΑΥΤΗΣ ΣΩΤΗΡΙΑΣ, statuendum curavisse.
 Tunc, si ei animus tulisset, ejus basin insignire inscriptione Lati-
 na, haec his verbis, quae singula ex nummorum, Lapidumque
 vetustorum *ἐπιγραφῶν* deprompta sunt, adornari fortean quivisset.

JESU. CHRISTO,
 HUMANI, GENERIS, SALUTI,
 SOSPITATORI, NOSTRO, ET. LIBERATORI,
 EXSUPERANTISSIMO.
 SPONSORI. SECURITATIS. PUBLICAE.
 OPTIMO. MAXIMO.
 DOMITORI. ATQUE. EXUPERATORI,
 MORTIS, ET. AVERNI,
 UBIQUE, VICTORI,
 SALUTARI. DEO.
 AGATHA. BERONICE. (b)
 GRAVI. INFIRMITATE. MIRIFICE. LIBERATA. (c)
 NUMINI. MAJESTATI. QVE. EJUS,
 DEVOTISSIMA.

F. C.

Quin & nos huic ORBIS TERRARUM RESTITUTORI, CON-
 SERVATORI, PACATORI, STATORI, DEFENSORI, TU-
 TATO.


(2) Haec phrasis occurrit in infc, apud Grut. p. XCI.

(a) Ita legitur in vetusto lapide apud *Sponium*.

(b) Hoc nomine Haemorrhousam insigniunt P. Damascenus, & Jo. Malala; quamvis
 Patres alii eam nominaverint Martiam.

(c) Et hanc loquendi formulam habet infc, vetus apud Grut. p. MLXV.

TATORI, (d) five mavelis, SALUTIS DATORI, PESSIMARUM VALETUDINUM PROPULSATORI, PROHIBITORI ET EXSTINCTORI (e) Benemerentissimo innumerabilibus ei beneficiis devinctissimi ex devotissimo pectore linguis, animisque illud nunc occinamus, quod ei aeternum coelestibus mixti choris acclamaturi sumus. ΤΩΙ. ΙΗΣΟΥ. ΧΡΙΣΤΩΙ. ΕΚ. ΘΕΟΥ. ΤΕΦΟΝΩΤΙ. ΤΩΙ. ΟΛΥΜΠΩΙ. ΔΑΞΙΚΑΚΩΙ. ΠΑΝΑΓΑΘΩΙ. ΣΕΒΑΣΤΩΙ. ΠΑΝΘΗΜΩΙ. ΤΩΙ. ΚΤΙΣΤΗΙ. ΤΩΙ. ΚΑΤΑΙΒΑΤΗΙ. ΤΩΙ. ΣΩΤΗΡΙ. ΤΗΣ. ΟΙΚΟΥΜΕΝΗΣ. ΚΑΙ. ΕΥΕΡΓΕΤΗΙ. ΠΑΝΤΟΚΡΑΤΩΡΙ. ΤΩΙ. ΑΡΝΙΩΙ. ΕΣΦΑΓΜΕΝΩΙ. ΤΩΙ. ΒΑΣΙΛΕΙ. ΤΩΝ. ΑΙΩΝΩΝ. ΑΦΘΑΡΤΩΙ. ΑΟΡΑΤΩΙ. ΜΟΝΩΙ. ΣΟΦΩΙ. ΘΕΩΙ. Η. ΕΥΑΓΓΕΛΙΑ. ΚΑΙ. Η. ΤΙΜΗ. ΚΑΙ. Η. ΔΟΞΑ. ΚΑΙ. ΤΟ. ΚΡΑΤΟΣ. ΕΙΣ. ΤΟΥΣ. ΑΙΩΝΑΣ. ΤΩΝ. ΑΙΩΝΩΝ. ΑΜΗΝ.



COROLLARIA RESPONDENTIS.

I.

Angelus ille ecclesiae Smyrnenfis, ad quem scripta epistola Apocal. C. II. exstat, fuit S. Polycarpus.

2. Illud, quod de columba ex vulnere ejus provolante ejus acta Martyrii referunt, fabulam sapit.
3. Videtur autem haec orta ex male lectis actorum verbis. Cum enim nunc legitur: Εξ ηλθε περιστερα και περιχρησισ αιματι, olim scriptum fuit περιστερων, vel περιστεριχισ, vel περιστερα, i. e. ex mediis costis, sive ex visceribus, sive ex pectore effluxit sanguis.
4. Decem illi dies, quae Apoc. II. ecclesiae Smyrnenfis passionibus tribuuntur, non decem illas notas persecutiones, quae fundamento carent; indicant.
5. Sed vel persecutionem ab Aurelio motam, vel Diocletianaeam illam, quae X. duravit annos.

6. Ha-

(d) Hos titulos omnes lemmata vetustorum Nummorum nobis suppeditant;
 (e) Ita Aesculapius apud Arnobium L. VII. vocatur,

6. *Hadrianus non quartam contra Christianos persecutio-
nem movit, sed benevolo erga eos animo fuit.*
7. *Praecipuus legis Caeremonialis finis fuit typicus.*
8. *Potuerunt tamen ejus & alii fines subordinati esse politici,
medici, ethici.*
9. *In nummo, quem rex Galliae Ludovicus XII. cudi curavit
cum epigraphe, Perdam Babylonis nomen, non urbs
quaedam Aegypti, sed Roma ipsa innuitur.*
10. *Samuel ille personatus, qui post mortem apparuit Saulo,
non verus fuit Samuel, neque spectrum, sed fraudibus &
astutiae mulieris Endoreae omnia adscribenda sunt.*
11. *Distinctio inter voluntatem Dei antecedentem & conse-
quentem minus apta est.*
12. *Multo minus ea dispesci potest in efficacem & inefficacem.*
13. *Fridericum I. Imperatorem a Pontifice Alexandro pedi-
bus conculcatum fuisse nondum est evictum.*
14. *Summa est Chronologiae profanae, & quidem Olympia-
dum incertitudo.*
15. *Contradictoria Deus ne facere quidem potest.*
16. *Quin femina illa, ad quam D. Johannes secundam e-
pistolam scripsit, quamque vocat εκλεκτην Κυριαν, proprio
nomine dicta sit Cyria, nihil obstat, ut credamus.*
17. *Dogma Trinitatis non potuit ex naturali lumine co-
gnosci.*
18. *Hebr. IV. 13. respicitur ad ritum victimas jugulandi.*
19. *Mevev in loco Ebr. XII. 27. non per manere, sed exspecta-
re vertendum est.*

Quo caste demum Flos Juvenum ruis?
Quid laude clarum Paneadis Decus,
Canumque coeco Marmor ævo,
Herculeis adoriris ausis?

F

Non

Non diva Patrum TE cohibet cohors?

Antiqua ponit non obicem Fides?

Novaque forma Tu vetustam

Paneadis decoras *Columnam*?

Servator olim qui fuit, en gravis

Nunc *Imperator*, *Foemina* qui fuit &

*Ægrot*a quondam, nunc fuisse

Urbs sacra *Paneadum* probatur.

Sic ex favillis flamma renascitur!

Sic involucris nucleus exilit!

Lux è tenebris, veritasque

Ex nebulis speciosa prodit!

Qui tanta Tanto PRÆSIDE sustines,

BARKEYE vindex, nonne vides? TIBI

En construunt æterna laudis

Pieria Monumenta Divæ.

Ultrajecti, ipsi Cal: Dec:

*Ita raptim rudiori licet tibia, sincero
tamen affectu, Amico suo
negotio accinit*

W. E. EWALD,
S. Min, Cand.

Paneadis statuum mentita sede remotam

Viribus HASÆI, viderat alma Themis.

Viderat & Momus, risitque quod illa probarat,

Hæc de liventi pectore verba trahens:

Nec ~~Hoc~~ Tantæ est artis monumenta evertere prisca?

Maxima vel minimus perdere quisque potest.

At nova nunc iterum mihi sistere robore sulca,

Perdita, quæ fuerant; hoc opus, hic labor est,

Dixerat. Interea Magnus contendit HASÆUS

Paneadis columen sede locare sua,

Utque solet, solidis illud circumdare scriptis, *se*

Aggreditur clades ne metuenda foret.

Id

Id Themis advertens, ut custos juris & æqui,
 Gaudet, quod constet gloria justa Viro;
 Quodque obstructa simul Momo sint ora pudore
 Et Momum irridens, talia verba refert:
 I nunc atque Viro justam decerpere palmam,
 I nunc & laudes carpere, perge pias,
 I potius tectus vultûs oculosque malignos,
 Livida & internâ Pectora tabe neca.
 I nunc hostiles, quantum pote, collige turmas,
 Quæ tentent statuam sede movere sua.
 Mille dolis & mille modis tamen ipsa per ævum
 Inconculsa stat, heic nam Nicolaus adest,
 Nomina victoris qui fert, tantoque vigore
 Hostibus opponit pectora dura feris.
 Ne quis forte putet, quod inania nomina gestat
 Sed rata quod fiant atque tropæa ferat
 De populo, cui præclaris dum restitit armis,
 Victor ut evadat, nomen & omen habet.
 Hæc Themis. Has pluresque alias concedere laudes
 Jure licet digno, Dulcis Amice, Tibi.
 Nam dum Pancædis victor monumenta tueri
 Gestis, & ingenii tot monumenta refers,
 Quot latus infestant hostes, quos vincis ad unum,
 Armaque quot eudunt, quot Tibi tela parant.
 Perge ita ferratos hostes, quos vincere oportet,
 I licet, & faustas tange aliquando domos.
 Plurima victori ut surgant monumenta Laborum,
 Utque feras meritis digna tropæa tuis.

Ullrajecti ipfis Cal; Dec: Petrus de HASE,
S. Min; Cand:

רבים שורנו סגנים
 זקנים מורנו עגנים
 קדומים ראינו כלמדו

3
5

עצונים

F 2



עֲשׂוּנִים גָּאִינוּ לְגַמְרוּ
 לְדוּרִים לְכוּנָה אֲנִים
 סְגוּרִים לְכוּנָה מְנִים
 בְּרֹכָה עֲלֶיךָ סְפָרִי
 אֲרֹכָה אֲלֶיךָ וְכַפּוּר
 רַגְלִים נֶשְׁנִים בְּגָנִים
 קְבָלִים חֲצָנִים נְגָנִים
 אֲזַנִּים מְצִוֵּן עֲמוּדוֹ
 יְהוּרָה עֲלִיתָ בִירוֹ

כה

שרתי לדורי

F. C. ab HOSPITAL, Civ; Tigur:
 S. Theol. Stud:

ESt labor æthereas solidoque adamante *columnas*
 Succiso penitus poplite sternere humi.
 Est labor errorum defixas vellere fibras
 Mentibus, & nugas non tolerare leves.
 Ast struere æternas firmo fundamine *pilas*,
 Falsisque ostensis pandere vera *magis*.
 Hoc opus, hic labor est ; hac sese ostendat arena,
 Vivida cui virtus, Herculesque vigor !
 Nondum me extorrem Palatinæ gloria gentis
 Heidelbergæ suo foverat alma sinu ,
 Cum me explodentem DUCE conspiciebat EODEM
 Commentum *statuæ Pæneæ* ampla suæ.
 Jam majus molitur opus, seque arduus effert
 Corda gerens Phœbo turgida BARKIADES.
 HEROIS, (a) cui nostra parem vix secula norunt,
 HEROIS tanti sustinet Ille latus.
 Quando Ille ulterius grandi molimine tradit
 Quid veri SIGNUM PANEADENSE tegat !

Sic

(a) — — — *pietoribus atque poetis*
Omnia fingendi semper fuit æqua potestas.

T. d. H.

Sic animosa decet Nicolai corda relictis
 Post tergum sociis, ulteriora sequi.
 Sic ego, quem nuper conspexi pone sequentem,
 Cerno lubens gressus antevolare meos.
 Tende, ita, Dulce Caput, Supremi ad culmina montis,
 Accipe jam pridem parta *βραβεία* Tibi.

HEIDELBERGÆ Cal, Dec, iplis
 Anni 1726.

David BRUNINGS,
 SS. Th. St.

Dum mihi fata vetant, atque intervalla locorum,
 Corpore me totum jungere Amice Tibi;
 Utque solebamus sermones ducere dulces,
 Et nobis alacres suggerere igniculos,
 Non licet, atque meam subiit durissima mentem
 Tristitia; & magno corda dolore gemunt.
 En venit huc a Te gratarum nuncia rerum
 Littera, & ex animo tristia cuncta fugat.
 Nam Te Bremanam conscendere velle Cathedram,
 Nunciat, & dites promere mentis opes.
 Quod dum perfundit sensu mea pectora læto
 Gaudia non possum dissimulare Tibi.
 Gaudia quæ testor, dum faustum gratulor omen,
 Quod quæ spes de Te concipienda docet,
 Macte, Virum præsta, Juvenis, sub PRÆSIDE Tanto,
 Teque Tui monstra nominis esse fabrum.
 Sic aliquando Tibi columen statuetur honoris,
 Quod possit laudes concelebrare Tuas.

Ultrajeeti pr, Cal, Dec.

Johannes Hermannus GRONAU,
 Philol, atque Philof, Studiosus.

Straverat haerentem multo squalore *Colossium*
 Nostri firma COLUMNA Lycei.
 Nunc & Atlanteo positum molimine *Signum*
 Orbe juvat fulcire stupente.

Huic

Huic quoque nunc humeros satagis submittere, rerum
Grande Deus, NICOLAE, mearum.
Perfer, & hinc subito Numen Te transferet, Atrii
Ut Sancti sis Pila perennis.

H. BRUNINGS, Phil. Stud.

Accipe Posteritas, quæ non reticenda futuro
Tempore, *Paneados Gloria*, fata tulit.
Scilicet *Agrotam*, perhibet delira vetustas,
Hanc *Statuam* MEDICO constituisse SUO.

In Erravit, falsa defixa in imagine Christi,
aty Serior hinc ~~cætas~~ in vaga verba patrum,
Transmisso tandem *Statuam* deprendere visu
En MAGNI HEROIS contigit Ingenio.
Sub Titulo TERRAS, Hadrianum, RESTITUENTIS
Non TE, Delicium CHRISTE, latere docens.
Euge! *decus Juvenum*, vibrata retundere tela
Te nunc accingens; perbene cedat opus.
Fortis propugna, felix ubi straveris hostes,
Victori venient præmia digna TIBI.

Φιλίος ειλικρινυβενικας

Cornelius de CUYPER,
Phil. Studiof.



✓


CR 599

W01P



ULB Halle
005 594 09X
3





B.I.G.

Farbkarte #13

27 No 3


DISSERTATIONIS
DE
MONIMENTO PANEADENSI

PARS ALTERA,
quam sub auspiciis Divinis
PRAESES

THEODORUS HASAEUS,

S. Th. D. & Prof. & ad aedem D. Virginis
Pastor,
& Respondens

NICOLAUS BARKEY, Bremensis,
die VENERIS, pridie Eid. Dec. a. clo lcccXXVI,
publicae disquisitioni H. L. Q. S. subjiçient.



BREMAE,
Typis Hermanni Christophori Jani, Illustris Gymn. Typogr.

